

I 2 W

1 6 0 5

✓ 00/19.

Handwritten number 396.

Gesner, Jul. (3<sup>te</sup> disputaciones)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit  
Jacobo Tappia.

comptur 1.13.7



LABYRINTHVS PRIMVS

Papisticus. Hoc est:

DISPUTATIO

DE PAPATV SE  
METIPSVM CONTRA

dictionibus implicante, confundente  
& jugulante,

IN ARTICVLIS

DE { SCRIPTVRA SACRA.  
PERSONA CHRISTI.  
OFFICIO CHRISTI.  
JUSTIFICATIONE.  
FIDE ET OPERIBVS.

*Cujus propositiones die 23. Octobris praterlapsi anni 1601. ad  
disputandum pro Licentiâ, à Reverendo & Clarissimo viro, à D.D. Ægi-  
dio Hunnio, τῷ ἐπ' ἀγίοις, propositas, nunc ad diem 2. Martii  
hujus anni 1604. pro Gradu, in Facultate Theologicâ,  
Doctoreo, obtinendo, Auxiliante Deo,*

P R Æ S I D E

SALOMONE GESNERO S. THEO-  
logiæ Doctore, & Professore in Acade-  
mia VVitebergensi,

*Horis matutinis, & pomeridianis, in Auditorio  
Theologico, defendet,*

MATTHIAS HOE, AVSTRIACVS: IAM  
Ecclesiæ Plaviensis Pastor, & Su-  
perintendens.

W I T E B E R G Æ,

*Typis M. Georgii Mulleri, Impensis Pauli  
Helwichii Bibliop. Anno 1604.*



## Benevolo Lectori, S. R. D.

**M**ulta cadere intra calicem, supremasq; labra, Benevole Lector, Poeta, minime quidem Christianus, verè tamen, & sapienter dictum, scriptumq; reliquit. Noster verò ille mortalium sapientissimus ait: **לֵב אָדָם יַחֲפֵשׁ דַּרְכּוֹ וַיְהִי וַיִּהְיֶה יָכִין גַּעְרוֹ :**

Prov. 16.

v. 9.

hoc est: Cor hominis cogitat viam suam: sed Dominus dirigit gressus ejus. Cujus sententia evidentissimum exemplum, & documentum isthac disputatio nobis suppeditat. Cum enim illam Reverendus & Clarissimus vir, Collega & Compater meus longè charissimus, D. D. Aegidius Hunnius, nunc disputantium è scholis in triumphantium choreas felicissimè traductus, Anno 1601. ad diem XXIII. Octobris, publicè discutiendam proposuisset, eo ipso XXIII. Octobris, qui publicè συζητήσια dicatus fuerat, Electorali mandato, præter expectationem, Vitebergâ ad Colloquium Ratisbonense proficisci necesse habuit. D. Hunnio postmodum illinc reverso, Candidatus noster citius, quàm ut actus disputationis institui potuerit, ad munus Ecclesiasticum, in Electoralem Dresdensem Aulam, ex Academiâ evocatus est. Inter-venit deinde multiplex, & importuna occupatio, in refutandis lesubitarum calumniis, & deniq; morbus, atq; adeò ipsa etiam mors præsidis. Etsi autem hæc theses D. D. Hunnius, cum in Colloquio, tum alias, abundè satis defendit, & Candidatus, in Apologetico suo, pro virili etiam, à calumniis Gretserianis easdem vindicavit: Visum tamen nihilominus Collegio fuit Theologico, non alias, sed hæc ipsæ solenniter ventilandas proponere: mihiq; ordinis ratione habitâ, partes, quæ D. D. Hunniis piè defuncti fuerant, demandare: quod ratione officii, & professionis, de-tractare nec potui, nec volui. Significandum autem istud hæc προφορῆς existimavi, ne quis alias istius moræ, & successionis causas, quàm quæ modò sunt exposita, suspicaretur. Bene vale. 12. Febr. Anno 1604.

Salomon Gesnerus D.

**ILLVSTRISSIMO**  
**CELISSIMOq; PRINCIPI AC DO-**  
 mino, Domino CHRISTIANO II. Duci Saxo-  
 niæ, Sacri Romani Imperii Archimarescallo &  
 Electori, Landgravio Thuringiæ, Marchioni  
 Misniæ, & Burggravio Magdebur-  
 gico &c. Domino suo cle-  
 mentissimo.

**D**ominum, Celsissime Princeps, Sacri Romani  
 Imperii Septem vir illustrissime, Domine cle-  
 mentissime, Tuæ Celsitudini de Magistratu nua  
 per inito votis ardentissimis ex animo gratu-  
 lor, æternumq; Deum & Patrem Domini nostri Iesu Chris-  
 sti precor, ut ipse, qui dat salutem Regibus, pro immensa sua  
 bonitate, Celsitudinem tuam potenti sua dextra fulciat, pro-  
 tegat, ac defendat, eamq; Spiritu sapientiæ, roboris &  
 fortitudinis ungat & impleat, & hanc Electoralem Di-  
 gnitatem, ac subditorum populorum gubernationem læ-  
 tis auspiciis inchoatam, cœlesti suo nutu jubeat esse prospe-  
 ram ac salutarem, ut consilia & actiones simul omnes ce-  
 dant ac vergant ad divini nominis ipsius gloriam, ad pro-  
 pagationem doctrinæ cœlestis in his oris Saxonice accense,  
 & huc usque conservatæ, ad Ecclesiæ Christianæ commo-  
 dum, Reipublicæ stabilimentum, totiusq; Saxonice domus  
 perpetuum decus, splendorem & ornamentum. Hoc vo-  
 tum meum, ab intimo pietatis affectu dimanans, ratum ha-  
 bere velit is, qui est Deus unus & trinus, benedictus in  
 secula, Amen.

A 2

Ceterum



Ceterum ne mea hac demissa gratulatio prorsus esset  
 ἀδύνατον, ego quod hac quidem vice sub manibus erat, in-  
 clytæ Tuæ Celsitudinis nomini, ceu symboli vice consecrans  
 dum duxi, Opusculum paginarum quidem numero non ita  
 magnum, usu tamen suo & fructu in vera Ecclesia filii Dei,  
 quod spero, minimè cariturum: Labyrinthum, inquam, pri-  
 mum Papisticum, ex perpetuis Pontificiorum antilogiis  
 constructum, & ad demonstrandam vanitatem Pontificiæ  
 doctrinæ hunc in modum à me superioribus diebus, occasione  
 Disputationis, in qua vires suas experiretur noster in Theo-  
 logia Candidatus, genere Nobilis, & doctrina conspicuus,  
 confectum & adornatum. Eum ut Tua Excelsitas serena  
 fronte suscipiat, meq̄, ut hætenus, ita porro clementissimo  
 favore suo complecti pergat, ea, qua par est, animi demissio-  
 ne rogo & obsecro. Quam iterum atq; iterum una cum seren-  
 issima pientissimaq; Matre Vidua, laudatissimisq; fratribus  
 & sororibus, adeoq; universa domo Saxonica præpotentis  
 Dei tutelæ ac protectioni piis votis humilimè commendo.  
 Data Vitebergæ, die 3. Octobris, Anno reparatæ salutis  
 primo, supra millesimum sexcentesium.

Inclytam tuam Celsitudinem  
 humilimè colens.

Ægidius Hunnius D.

PRO.



PROPOSITIONES

*De Papatu semetipsum refellente.*

PROPOSITIO PRIMA.



Diosè nostras Ecclesias exagitant Pontificii, quòd in illis varia dissidia, apud ipsos verò summa regnet unitas: idcirco unitatem inter notas veræ Ecclesiæ numerantes suæ quidem Synagogæ titulum veræ Ecclesiæ vendicant, nostris autem cœtibus eundem derogant.

2. Equidem Ecclesiis nostris nec Calviniani, nec Anabaptistæ, nec Suencofeldiani, nec alii fanatici, annumerari possunt aut debent, quorum dogmata sunt ex finibus Ecclesiarum nostrarum pridem profligata: de quibus cum Apostolo dicimus: E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent utiq; nobiscum 1. Ioh. 2.

3. Nostræ autem Ecclesiæ in doctrina cœlitus patefacta, secundum Prophetarum & Apostolorum scripturas, & ex iis desumptam Augustanam Confessionem, & Concordiæ Christianæ librum, in omnem æternitatem invictum, inter se pium consensum colūt, atque hac ratione facta recta constat Ecclesiæ Dei, cuius nos membra sumus, sua unitas, in symbolo celebrata.

4. Quàm verè autem de suæ Synagogæ concordia glorientur Pontificii, id hac & sequentibus nonnullis disputationibus per articulos atq; capita expeditum dare, & nolentibus volentibus ob oculos statuere certum est.

5. Posset de dissensionibus Romanæ Babylonis infinitis iustum conscribi volumen, si quidem liberet obscuram illam horridamq; sylvam totam succidere, & ex historiis demonstrare, quomodo Pontifices ipsi à se mutuo capitalibus odiis acerbissimè dissenserint, se invicem excommunicarint, alii aliorum decreta contrariis decretis abolerint, concilia contrariis conciliis damnarint: si item placeret ostendere, quomodo jus Pontificis discordantium Canonum pugnantia multiplici totum per-

A 3

strepit,

repar, ita ut Gratianus in concordandis iis sudare quidem, non tamen quicquam profecerit: si denique liberet commemorare Monachorum sectas, & digladiationes hostiles, similiter Academicarum olim sub Papatu rixas, & Scholasticorum Theologorum pugnas.

6. Verum ne modum Thesium excedamus, hac vice quaedam duntaxat in summis articulis, qui Christianitatis arcem continent, Pontificiis velut ad gustum propinabimus, ostensuri, quam illi sibi minimè consent, quomodo unus alterum erroris vanitatisq; coarguat: quomodo item, quod in uno articulo concedunt, mox in alio suo dogmate propugnando (ne jacturam illius facere cogantur) rursus negent, & omninò propriis hypothesebus doctrinam ipsi suam confutent, confundant & confodiant.

7. Neque verò singulorum articulorum plenam tractationem expectabit Lector (nam est hoc alius loci, laboris & operis) sed solum quo pacto circa religionis capita Pontificii Doctores Spiritu vertiginis rotati labyrinthos struant irremeabiles, & nodos contradictionum sibi nectant & induant, ut hinc & falsitatem agnoscant suorum dogmatum, & si sapiunt, posthac argumenti de dissensionibus Lutheranorum toties agitati turgida vela contrahant, & secum habitare discant.

### *De Scriptura Sacra.*

8. In recensendis Canonicae scripturae libris nos (quoad Vetus Testamentum) Canonem sequimur Hebraum, quem Paulus ipse confirmat, dum Iudæis credita scribit τὰ λόγια τῶ Θεῶ Rom. 3. quem Christus & Apostoli suo comprobant exemplo, citantes in suis concionibus & Epistolis, eos libros, quos in Canonem Hebraum adscriptos constat, ceteros, qui in eo prætereuntur, non citantes.

9. Neque calculum Ecclesiae fugimus, sed tam in V. quàm in recensendis N. Testam. libris canonicis eruditam sequimur Antiquitatem: & in hac Beatum Hieronymum, & in prologis super Matthæum, ad Damasum, itemq; in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum: sicut etiam in veteri ejusdem censurâ stamus, expressâ, in proœmio Galeato, ad Paulinum, & super librum proverbio-



verbiorum: tanquam illius rei, (ipso Iure Pontificio attestante in lib. Decretorum dist. 16. can. Sancta Romana) aestimatorem accuratissimum & dexterrimum.

10. Dissentit à nobis Concilium Tridentinum, prae toria potestate jubens Canonicos esse libros, quos Canonicos esse negant ii Patres, qui, quod Apostolorum temporibus essent vicini, omnium rectissimè de re tanta judicare poterant.

11. Dissentit ergo Concilium à Iure Pontificio asserente loco jam allegato, idem se sentire quod cognoscat Beatum Hieronymum sentire: idq; accipiendum ait, non modò de Ruffini libris (reprehensis à Hieronymo), sed de VNIVERSIS, quos vir sapius memoratus zelo Dei & fidei religione reprehendit.

12. Rursum à Concilii Tridentini decreto dissident Pontificii quoque Doctores, nempe Nicolaus de Lyra in prologo in libros Apocryphos, Dionysius Carthusianus in principio commentarii in Genesim, Hugo Cardinalis in prologo Iosuae, Thomas de vio vel Cajetanus, Romanae Ecclesiae Cardinalis, & à latere legatus, & Lutheri persecutor: & qui Concilio Tridentino interfuit, Benedictus Arias Montanus, quod ex ipso statim titulo praecleari operis Biblici ab illo elaborati & Antuerpiae editi liquet, ubi legitur: Accesserunt & huic editioni libri Graecè scripti, QVI VOCANTVR APOCRYPHI. Et post Concilium Tridentinum Sixtus Senensis, rejiciens Apocrypha capita in libro Esther, & Iohannes Driedo, reprobans Apocrypha capita Danielis, secus quam Concilium Tridentinum sanxerat.

13. Quin Bellarminus quam pulchrè convenit secum ipse, & cum Concilio? Efram fatetur constituisse Hebraeum Canonem lib. 1. de verbo Dei cap. 7. Hunc Efram non dubitat annumerare Prophetis & rectè, quando lib. 2. de Verbo Dei cap. 2. probaturus, si qua facta sit Bibliorum Hebraicorum mutatio, non eam fuisse corruptionem, sed veram emendationem, id hinc probat, quia facta ea sit, nò à quibuscunq; Scribis, sed ab Esdra & ALIIS Sanctis PROPHETIS, qui post reditum à captivitate libros sacros reparaverunt.

14. Ex his ergo concessis Bellarmini sic arguimus: qui sub anathematis comminatione mandant pro **Canonicis Scriptis** haberi

haberi eos Veteris Testamenti libros, quos Esras in Canonem non recepit, hi Propheticae authoritati se opponunt. At Patres Tridentini Concilii sub interminatione anathematis mandant pro Canonicis agnosci, librum Iudith, Tobiae, Baruchi, posteriora capita septem Esther, nempe undecimum & sequentia: posteriora duo capita Danielis, quos libros & librorum partes constat ab Esra, in Canonem non esse receptas. Ergo Patres Tridentini Concilii Propheticae authoritati, quae in Esdra fulsit, palam se opponunt.

15. Porro ne forte D. Iohannes Pistorius apostata conquerratur, se in hoc labyrintho praetermissum: dispiciendum fuerit, quam pulchre conveniat ipsi cum Tridentino Concilio & universa Pontificia Ecclesia.

16. Nam in praefatione, quam Iacobi Marchionis Badensis Scripto seu motivis (ob quas ad Papatum defecerit) antefixit, fatetur, se ex mandato sui istius Principis, librum illum, cuius aliquas lineas Princeps duxerit, hunc in modum, ut in lucem prodiit, conscripsisse.

17. In prima Motiva pag. 33. & 34. scribit ille, quod Lutherani libros aliquot, qui a veteri Ecclesia aliquot seculis usque ad nostra tempora pro CANONICIS & sacris SEMPER habiti fuerint, cum ignominia Spiritus Sancti ex Bibliis evulserint.

18. Et ut atroci criminationi fidem faciat, post paucas lineas subjicit, Lutherum in Veteri Testamento integros libros, Iudith, Tobiae, librum Sapientiae, Syracidem, Baruch, duos posteriores Esdrae, & secundum Maccabaeorum contemptim elidere, Et de duobus postremis libris Esdrae post pauca subjicit: Duo posteriores libri Esdrae nihilò plus valent ei (Luthero) quam Fabulae Esopi, vel etiam vilioris notae libri, ita ut autumat se illos merito ex suis Bibliis exturbare, & nec versione dignari. Hæc Pistorius.

19. Possemus respondere ex Antiquitate, & impio blateroni per jugulum adigere mendacium suum, quod libros enumeratos semper pro Canonicis habitos fuisse sine fronte mentitur: sed id abundè præstitum est in mea Refutatione primæ Generalis controversiæ Roberti Bellarmini: eò lectorem remitto.

20. At quod Canonicis libris annumerat Apostata duos posteriores libros Esræ, id est, tertium & quartum, & ita cyclopicè bacchatur in Lutherum, quòd eis Canonicam autoritatem negat, & fabulis Esopi comparat: Videat Pistorius, quomodo hoc ad Concilii Tridentini Patres sit excusaturus, qui non minus, ac Lutherus, posteriores duos libros Esræ in Canonem non admittunt. Videat quid fraterculis suis Iesuitis, quid Bellarmino, quid cæteris responsurus sit.

21. Nam BELLARMINVS lib. 1. de Verbo Dei cap. 20. sic ait: Postremò Apocryphi sunt, liber tertius & quartus Maccabæorum, nec non TERTIVS & QVARTVS ESDRÆ. Et quidem de quarto Maccabæorum res perspicua est, cùm solùm nominetur ab Athanasio in synopsi, & ab eodem extra canonem ponatur. Quartus autem Esdræ citatur quidem ab Ambrosio, libro de bono mortis, & lib. 2. in Lucam, ac in Epistola 21. ad Horatianum: tamen sine dubio NON est canonicus: CVM A NULLO CONCILIO REFERATUR IN CANONEM, & non inveniatur neq; Hebraicè, neq; Græcè, ac demum contineat cap. 6. QVÆDAM FABVLOSA DE PISCIBUS HE- NOCH ET LEVIATHAN, quos maria capere non poterant, QVÆ RABINORVM TALMVDISTARVM SOMNIA SVNT. Itaq; mirandum est, quid Genebrardo venerit in mentem, ut hunc etiam librum ad canonem pertinere vellet, in Chronologia sua, pag. 90.

22. Et rursum lib. 2. c. 7. inquit: Hic liber (quartus Esdræ) non modò Apocryphus est, & AB ECCLESIA CATHOLICA NVNQVAM RECEPTVS, sed etiam in multis locis redollet FABVLAS IVDAICAS, & in hoc ipso cap. 14. non aliter loquitur de quibusdam libris occultis & perfectioribus, quàm omnes Thalmudistæ faciunt de sua Cabala. Quare potius testimonium libri huius detrahit huic sententiæ fidem, quàm afferat. Ex libris autem Canonicis nihil tale colligitur.

23. Quid censes, Pistori? num fabulæ Iudaicæ & Rabbinorum Thalmudistarum somnia sunt Esopi fabulis meliora? In nunc, & amplius cum Luthero de hoc exostula, deq; vestro consensu gloriare. Nos interim ad alia pergimus.

24. Quando D. Chemnitius, Georgius Major, & alii, omnia quæ ex veteris Testamenti libris afferuntur (cùm de interpretatione

B

tione

tionem incidit dubitatio) examinari & emendari debere scribunt ad Hebræum textum quem purissimum fontem appellant: Bellarminus piam hanc illorum sententiam apertissime falsam pronuntiat lib. 2. de Verbo Dei cap. 2. nimirum ut homines sub vitio-  
 sa translationis latinæ jugo detineat, à qua nefas fit, ullo pre-  
 textu recedere, & ad fontes recurrere.

25. Bellarmino impudentior etiam Gregorius de Valentia sic  
*Anal.* scribit: Porrò ex dictis intelligitur, nullo modo auctores illos  
*fid. Ca-* audiendos esse, qui adhuc post Concilium Tridentinum con-  
*thol.* tendunt, posse etiam nunc editionem vulgatam per Hebraicos  
*parte 8.* & Græcos codices, tanquam per fontes (ut ajunt) in locis ali-  
*Incre-* quibus, quo ad ipsam sententiam attinet, emendari. *Non licet hoc*  
*pet te* *facere.* Quin potius Græci & Hebraici codices, sicubi à nostra e-  
*Domi-* ditione dissideant, *per nostram corrigendi & emendandi sunt.* Nam  
*nu, Sa-* hanc Ecclesia peculiari definitione per omnia probavit, *non il-*  
*lana.* *los:* quanquam nec illos rejecit, *nisi ubi huic nostræ editioni forte*  
*contradicerent.*

26. Bellarmino & Gregorio de Valentia opponimus Benedictum  
 Ariam Montanum, unum ex Concilii Tridentini Patribus, qui  
 in præfatione super opus Biblicum, & Patrum testimoniis, & ar-  
 gumentis evincit, omnia, de quibus in Bibliorum interpretatione  
 dubitatio suboritur, ad hebraicam veritatem in Veteri, & græci  
 sermonis fontem in Novo Testamento, esse examinanda. Inter  
 cætera hanc rationem affert, quòd ea, quæ in prima lingua unum  
 certumq; significant, ab interpretibus ambigè reddantur, rur-  
 susq; illa è secunda in tertiam linguam conversa, adhuc magis in-  
 certam significationem relinquunt: quod quidè (inquit) ex QUAM  
 PLURIMIS exemplis in VETERI Bibliorum editione patet.

27. Et paulò post quotidiano usu compertum esse, refert, tum  
 librariorum, tum etiam Typographorum culpa multos errores  
 tam in græca, quam in latina lingua passim committi, qui (ait)  
 NVLLO MODO, NISI ex PRIMÆVÆ illius linguæ veritate  
 emendari possunt.

28. Et mox inquit: Si latina sacrorum Bibliorum interpretatio  
 corrumpatur, vel novarum interpretationum prætextu, contami-  
 netur, aut etiam falsa sententiæ interpretatione pervertatur, tum  
 huic NVLLVM magis salutare remedium adhiberi posse, quàm  
 si veritas ipsa PRIMÆVÆ & archetypæ illius linguæ subsidio  
 conser-

confirmata à scelestorum hominum impietate vindicetur. Hæc  
Benedictus Arias. Quam igitur bellè Bellarmino ejusquè gre-  
gali Gregorio de Valentia Tridentini Concilii Patronis conve-  
nit cum ejusdem Concilii Patre, scribente hæc, autoritate pu-  
blica, & impiorum Iesuitarum blasphemias supra positas jugu-  
lante?

29. Versionem latinam vulgatam Patres Concilii sic imperant  
in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus aut  
expositionibus agnosci pro authentica, ut eam nemo rejicere  
quovis prætextu audeat vel præsumat. Hæc enim sunt formalia  
verba Decreti Tridentini.

30. At Leo decimus Pontifex Erasmus sua in Novum Testa-  
mentum versione vulgatam illam frequentissimè corrigentem,  
multisq; in locis rejicientem, & in annotationibus, cur sic faciat,  
perspicuas rationes reddentem, laudat, & benedictionem Apo-  
stolicam ei precatur in diplomate versioni præfixo, & ut publi-  
cæ utilitati studere pergat & sedulò invigilet, quò tam sanctum  
opus in lucem exeat, hortatur. En tibi consonantiam Concilii  
& Pontificis.

31. Et quid respondebunt Pontificii de Benedicto Ariæ Mon-  
tano, quem fuisse diximus ex Concilii Tridentini Patribus? qui  
etsi verbis dicat, se veterem Translationem non corrigere, sed  
explicare (ne videlicet Antichristianæ synodi brutum fulmen  
adversus se concitet) corrigit tamen re ipsa, dum crimen falsi  
Gen. 3. commissum (ipsa conteret tibi caput) tollit, & ex hebræo  
reddit, ipsum. Dum item circa ea loca, ex quibus perperam  
translatis invocationem Sanctorum astruere tentant Pontificii,  
ipse vera sua versione doctorculis illis os obturat; idq; facit au-  
toritate Regis Hispaniarum, approbato & communicato cum  
Academia Lovaniensi consilio.

32. Velut, quod Gen. 48. habet vulgata translatio latina:  
Invocetur super eos nomen meum: reddit Ariæ Montanus:  
vocetur in eis nomen meum. Et quod Psalmo 139. legit vetus  
interpret latinus: mihi autem nimis honorificati sunt amici  
tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum (unde Ec-  
cius in Enchiridio, & alii Scriptorculi sanctos invocandos esse  
ridiculè concludunt) id Ariæ Montanus ex hebræo ad cogita-  
tiones Dei referens, Eccium aliosq; Pontificios confutat. Talia  
possent

possent afferri innumera, in quibus veterem translationem non explicat, sed re & facto corrigit, maximè verò ea loca emendat, quæ nostri in vulgata translatione corrupta & ad dogmata Pontificiorum accommodata esse demonstrarunt hætenus.

33. Ad eundem modum Santes Pagninus, Dominicanus Monachus, in sua luculenta versione, errata propè innumera vulgatae illius Translationis Latinae sustulit: quod opus una omnium commendatione approbatum, & à Rege Philippo dignum habitum esse refert idem ille Benedictus Ariæ, ut ejus accessione Regium illud opus Biblicum locupletatum prodiret, atq; huic rei optimè consultum fore existimatum esse dicit, si Santis Pagnini interpretatio, VELVT OMNIVM TVTISSIMA, hebraico textui (recognita tamen prius) annecteretur. Quæ quomodo Bellarminus cum suis nugamentis conciliare velit, ipse viderit.

34. Verum quid facient approbatores Concilii Tridentini de Pontificali Romano per Regnum Pontificium recepro & fixato? Cur id veterem illam vulgatam versionem negligit? & aliam non sine falsi crimine usurpar? Nam tertia statim pagina Editionis Venetæ, Anni 1572. sub titulo de ordinibus conferendis, locus Apostoli 1. Tim. 3. longè aliter translatus, & in odium conjugii Sacerdotum falsatus proponitur.

35. Verba Pontificalis Romani sunt hæc: Deinde Pontifex exponit omnibus, quales oporteat esse ordinandos per quatuordecim capitula regulæ Apostolicæ ad Timotheum, qui vult, ut ordinandus sit irreprehensibilis, NON PLVRIVM VXORVM VIR, sobrius, pudicus, ornatus, prudens, hospitalis, doctor, non vinolentus, non percussor, sed modestus, non litigiosus, non cupidus, sed domui suæ benè præpositus. Hæc Pontificale.

36. Prædixit Spiritus sanctus, Antichristiani regni Doctores, qui conjugium prohiberi erant, cauterio notatas habituros conscientias, 1. Tim. 4. Quidni Pontifex & Romani Pontificalis Auctores cauterium suæ conscientiae produnt, dum locum Apostolicum (eò quod illum dæmoniacæ suæ doctrinæ adversari cernunt) duplici ratione obscurandum censuerunt?

37. Primò n. affirmativam Apostoli Pauli, qua REQVIRIT, ut Episcopus sit unius uxoris maritus, transformant in negativam diversi generis, quæ jã non amplius habet vim præcepti aut requireri matrimonii doctorum Ecclesiæ, sed duntaxat prohibitionis polygamiae. En astum Satanæ. Deinde

38. Deinde Pontificale in loco Paulino hæc verba prætermittit: filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiam Dei curabit? Hic enim est scopulus, ad quem illorum allidit conscientia, ideoque præternavigandus erat.

39. Proinde suum Pontificale cum malè conciliato Concilio prius in gratiam redigant, quàm nostris Ecclesiis de retinenda vulgata editione latina leges dictent, & decreta figant,

40. De scripturæ sensu literali planè pugnant inter se duo præcipui Cardinales Ecclesiæ Pontificiæ, Nicolaus Chusanus, & Robertus Bellarminus.

41. Bellarmini verba sunt: His ita constitutis convenit inter nos & adversarios, ex *SOLO* literali sensu peti debere argumenta efficacia: nam cum sensum qui ex verbis immediate colligitur, *CERTVM* est, sensum esse Spiritus Sancti. *Lib. 3. de Verb. Dei cap. 3.*

42. Econtra Nicolaus de Chusa Cardinalis Epistola 2. & 3. *af. Epist. 2. 3.* firmat, Scripturas esse ad tempus adaptatas, & *VARIE* intellectas, ita ut uno tempore secundum currentem universalem ritum exponeretur, mutato ritu, iterum *SENTENTIA MUTARETVR*. Item, mutato iudicio Ecclesiæ, mutatum est & Dei iudicium. Et rursus: nec mirum est, inquit, si praxis Ecclesiæ uno tempore interpretatur Scripturam uno modo, & alio tempore alio modo. *Epist. 7.*

43. O lepidū consensum. O Vertumno mutabiliorem Scripturam, si Chusano fides habeatur: & o egregiam columnā Regni Papistici. O Papā perditè ignavum, & deploratè *προσωπολήπιον*, qui libros aliàs de hæresi suspectos diligenter inquirere, & atro calculo notare consuevit in suis Catalogis & Indicibus: at huius impii Cardinalis voces blasphemias & extremè hæreticas perpulchrè dissimulare novit. Sed in labyrintho progrediendum est.

44. Lectionem sacrorum Bibliorum in populari lingua laicis ideo non permittendam contendit ex sua simul & reliquorū Pontificiorum sententia Bellarminus, quia si populus rudis legat in lingua sua vulgari ex Canticis Canticorum: Osculetur me osculo oris sui. Et: læva ejus sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me. Et illud Oseæ: Vade, & fac tibi filios fornicationum: nec non adulterium Davidis, incestum Thamar, mendacia Iudith &c. periculum sit, ne provocentur ad imitandum. *Lib. 2. de Verbo Dei cap. 15.*

B 3

Possemus

45. Possemus respondere, esse fallaciam causæ: possemus retorquere, multò magis à lectione istorum locorum arcendos Monachos & Sacrificulos, quorum castitas admirabilis Orbi nota & decantata est.

46. Sed omissa hac responsione, Bellarmino Ambrosium Catharinum, unum ex primis Lutheri adversariis, Romanæ Sedis Legatum aliquot Pontificibus intimum, quin & Archiepiscopum opponimus. Hic ei pulchrè explicabit quomodo Bellarminus ceteriq; Pontificiæ Ecclesiæ Prælati talia de lectione Bibliorū nobis objicientes, muscas colare & camelos deglutire soleant.

47. Nam Pontificiorum Templorum religiositatem describens Catharinus: Est, inquit, pictor & sculptor in Italia, nostra ætate egregius, Michael Angelus nomine, qui ADMIRABILIS est in exprimendo NVDA hominum corpora & PVDENDA. Commendo artem in factò. At factum ipsum vehementer vituperò & detestor. Nam hæc membrorum nuditas INDECENTISSIME in ARIS & PRÆCIPVIS DEI SACELLIS VBIQVE conspicitur. Verum annumeretur & hic cum CÆTERIS MULTIS & MAGNIS ABVSIBVS, quibus fœdatur Ecclesia Dei, sponsa Christi.

48. Idem alibi quoque sequentem in modum conqueritur: Quod verò omnium est teterrimum hac tempestate, in excelsis TEMPLIS ac Sacellis offendes picturas TANTÆ LASCIVIÆ, ut quicquid natura occulit turpe nostram, ibi liceat contemplari, ad EXCITANDAM non devotionem, sed cujusvis DEMORTVÆ carnis libidinem: quod tantum nefas, nostra, id est, prælatorū culpa contingere, qui & hæc nedum patiuntur TVRPISSIMA spectacula, sed eorum nonnunquam etiā AVTORES sunt, nemo potest inficiari. Hæc ille Archiepiscopus Pontificius.

*O castos  
prælatos.*

49. Nimirum in regno Pontificio ad hujusmodi sculpturas & imagines Divorum & Divarum NVDAS artificiosè fabricatas, non modò spectandas, sed etiam adorandas facilè admittuntur laicis, quin sub opinione cultus invitantur etiam, quantumvis (Ambrosio Catharino teste) sint ad excitandam libidinē exquisitissimè comparatæ: imò turpissima lupanaria in ipsa sede Pontificis Roma, ahisq; per regnum Pontificium civitatibus nonnullis tollerantur palam, eoq; libidinibus inflammandis subduntur faces: Hæc scilicet nihil offendunt.

Vicissim



50. Vicissim autem à lectione sacrorum Bibliorum, ubi scortationes severissime semper à Deo punitas esse vel sola lectio demonstrat, propter loca supra citata, sub præcavendarum libidinum Antichristiano prætextu laici arcentur. Sic pergite vos Papicolæ.

51. In Scriptura non omnia contineri, quæ ad cultum atq. fidem pertinent, unanimes est, sed flagitiosa, & à nostris plus milles refutata vox omnium Pontificiorum.

52. Cum ergo sic sentiant, qua conscientia audent aliqui (& inter hos perfrictæ frontis Apostata D. Pistorius) jactare, paratos se esse de OMNIBVS controversis articulis atq. dogmatis ex SOLA Scriptura nobiscum disputare: cum tamen vigore sui dogmatis sentiant, aut sentire debeant (si Pontifici volunt esse devoti) non omnia sua dogmata, præcipue quæ in controversiam veniunt, in sacris literis contineri? imò nonnulli etiam ut fontem & radicem omnis seductionis, erroris & Babylonicae confusionis execrentur, si quis statuatur, nihil in religionis negotio credendum, vel in divino cultu suscipiendum, quod non vel expressè contineatur in scripturis, vel inde deduci queat?

53. Scripturam (quam Epistola ad Hebræos cap. 4. *ἡ ἑστὴν ἐν λόγῳ* nominat) esse iudicem controversiarum, negant ad unum omnes Pontificii, idq; inter cæteras futes rationes ex hac etiam causa, quod non possit loqui (Eccius in Enchiridio germanico pag. 41. facie b) & ut Bellarminus ait: quod non possit ipsa dicere, quis sit verus suus sensus, ideo blasphematur. Iudicem controversiarum NON POSSE esse scripturam, Idem nuper anonymus quidam autor in chartis hinc inde in Austria & Styria volitantibus affirmat, scripturam non posse loqui, ideoq; iudicem esse non posse. *Lib. 3. primæ contra 1707. cap. 9.*

54. Hoc profanum affirmatum toties ipsi refellunt, quoties scripturam nominant VERBUM DEI; quoties ELOQVIA Dei esse fatentur; quoties allegando scripturas, ajunt sic vel sic LOQVI Esaiam, Iohannem, Paulum &c.

55. Toties rursus pronunciatum suum confodiunt, quoties probaturi potestatem sui Pontificis, ad locum Matth. 16: Tu es Petrus &c. item ad dictum Christi Iohan. 21. Pasce oves meas: tanquam ad judicariam vocem, & decisivam sententiam ultrò provocant atq; sic præterintentionem scripturam iudicem constituunt, licet ea loca perperam ad institutum suum accommodent: Denique quoties adversus Iudæos disputantes, ad nullum alium

alium Iudicem provocare possunt, quam ad Scripturam V. Test. Propheticam, eam verò non mutam, sed loquentem, loquentem videlicet in ea Moſen, loquentem, imò CLAMENTEM (ut Apostolus Rom. 9. ait) Esaiam, & cæteros Prophetas.

56. Ex dictis hæcenus haud obscure cernit Lector, qualis sese contradictionum labyrinthus offerat in doctrina, Scriptis & libris Pontificiorum, circa primum statim locum, qui est de Scriptura sacra.

## De Persona Christi.

57. In articulo de Persona Christi multis itidem modis sibi contradicunt, suisq; propriis hypothefibus ad palpabiles contradictiones semetipsos adigunt.

58. Si quæras ex Pontificiis, annè præter humanam naturam ex virgine sumptam, ulla alia creatura cum Deo, unione PERSONALI vel unita sit, vel in omnem æternitatem, unienda sit? negabunt haud dubiè.

59. Quia verò vi suæ Transsubstantiationis docent, panem & vinum in Eucharistia per consecrationem non redigi in nihilum, sed ipsummet corpus & sanguinè Christi converti, hoc ipso docent, panem & vinum per hanc transsubstantiationem venire in unionem cum λόγῳ hypostaticam: quod sic demonstramus.

60. Corpus Christi est cum filio Dei unitum personaliter. At panis ex sententia Pontificiæ μετασίᾳ factus est ipsissimū illud corpus Christi. Pervenit ergo in unionem hypostaticam cum æterno filio Dei. Et quia Sacrificuli demurmurando hæc quinque verba (HOC est enim corpus meum) CONFICIUNT ex pane corpus Christi, nonne creatores erunt? sicut liber, cui titulus est, Stella Clericorum, Sacrificulos hac de causa CREATORES CREATORIS, non sine horribili blasphemia nominat. Habes in loco de Persona Christi contradictionem primam.

*Lib. 3. de Incarnatione cap. 8.* 61. Quòd verbum communicaverit humanitati suam substantiam, aliquoties restatur Bellarminus, maximè his verbis: His igitur ita explicatis, demonstrandum est, rem ita se habere, hoc est, unionem hypostaticam consistere in COMMUNICATIONE substantiæ verbi.

62. Et mox: Quod si in Christo una tantum est substantia: Ergo

Ergo aut Verbum COMMUNICAVIT suam humanitati, aut contra Humanitas Verbo. Non autem communicavit Verbo substantiam suam humanitas, ut omnes confitentur. Igitur COMMUNICAVIT Verbum substantiam suam Humanitati, atq; ita facta est unio hypostatica.

63. Per substantiam autem Bellarminus haud dubie personam, seu juxta vim vocabuli græci ὑπόστασις intelligit. Quod ipse docet adjunctis testimoniis Conciliorum; si quis non confiteretur, Carni secundum SUBSISTENTIAM unitum Dei patris Verbum, anathema sit. Taliaq; plura. Cum primis etiam Concilii Chalcedonensis verba hæc: salva utriusq; naturæ proprietate, & in unam personam ac substantiam concurrente, unigenitum *Græciste-xtus habet* vocabulum filium & Deum Verbum agnoscimus.

64. Vbi semper vox substantiæ est in græco textu ὑπόστασις, ὑπόστασις, quæ etiam in decreto Chalcedonensis Concilii cum vocabulo ὡς. Personæ tanquam æquipollens conjungitur.

65. Cùm ergo Bellarminus affirmet, Humanitati substantiam (ὑπόστασις) Verbi COMMUNICATAM esse, quod & nos indubitanter asserimus; videat ipse, quo nodo contradictionis se involvat, dum communicationem hypostaseos seu personæ Verbi largitur Humanitati Christi, omnipotentia verò cæterorumque attributorum & idiomatum τὸ λόγος communicationem ei negat.

66. Sic enim loco notato scribit: His igitur ita explicatis, demonstrandum est, rem ita se habere, hoc est, unionem hypostaticam consistere in communicatione substantiæ verbi, NON in communicatione attributorum Deitatis.

67. Num verò, mi Bellarmine, hypostasis Verbi est quippiam ab attributis ejus, omnipotentia, sapientia &c. realiter distinctum? Imò nisi in qualibet persona divina binitatem, in Deitate verò quaternitatem introducere libeat: omninò statuamus oportet, hypostasin τὸ λόγος nihil quicquam esse aliud, quàm ipsam suam Omnipotentiam, Sapientiam &c. hypostatico caractere filii terminatam.

68. Equidem si omnipotentia consideretur absolute ut est toti Trinitati communis, non quidem re differt à singulis personis, sed tamen ratione. Considerata verò relatè in persona filii, nec ratione differt quicquam à filii hypostasi: Ita ut si quis quaeratur:

C

rat:

rat: quid est λόγος in sua hypostasi? rectè respondeatur: Est potentia Patris genita, est sapientia Patris genita Prov. 8.

69. Quod cum ita sit: aut communicata hypostasi Bellarminus ipsam quoque, & λόγος omnipotentiam & omnisapientiam (non quidē sub Patris aut Spiritus sancti hypostasi, sed solius filii) communicatam asserat, atque sic tractatū suum, quo realem divinorum idiomatum communicationem insectatur, una litura deleat: aut si hanc oppugnare perget, noverit se etiam communicationem hypostaticam verbi tollere, atque sic propriis suis hypothesebus unionem hypostaticam verbi & assumptæ humanitatis evertere.

70. Brentio Nestorianismum impingit Bellarminus lib. 3. de Incarnatione cap. 1. propter has phrasēs ab ipso usurpatas: Deus aut Filius Dei univit sibi hominem seu filium hominis personaliter. Item Omnipotentiam suam Filius Dei in Incarnatione contulit in filium Hominis. Quas tamen phrasēs Brentius aibi rectissimè explicavit.

71. Quæro autem hinc ex Cardinale Iesuitico, anne Papa in canonizatione Divorum errare possit, ut Nestorianum aliquem hereticum in cælum collocet? Id verò negat ex professo, lib. 1. de Beatitudine Sanctorum cap. 9.

72. Faxo igitur, ut aut necesse habeat fateri, Papam errasse canonizando Thomam Aquinatem, secus quàm tota Pontificia sentit Ecclesia, aut si non erravit, futilem esse criminationem Iesuitas in Brentium. Idque probamus hoc pacto.

*Thomas in* 73. Quisquis utitur eo loquendi genere, quod à Iesuita in Brentio reprehenditur, est Nestorianus. Thomas Aquinas in *Catena Aurea super Evangelistas* usus est eo loquendi genere, quod in *rea, super* Brentio reprehendit Iesuita. Est ergo Nestorianus, & per consequens erravit Papa, Nestorianum Doctorem referendo in numerum Divorum.

74. Major educitur ex verbis Bellarmini. Minor est manifesta ex his Thomæ formalibus: FILIVS Dei, Virginis FILIO, Deus HOMINI, Divinitas carni contulit, quod semper ipse cum Patre possedit.

75. Si obtendat Iesuita, Thomam suas phrasēs explicasse, dum adjecit (Divinitas carni) sciat vicissim, Brentium quoque plus centies pari planè declaratione, confirmatisque phrasibus alteras illas explicasse luculentissimè.

Aut

76. Aut ergo calumniam in Brentium jactam resorbeat Bellarminus, aut Papam in canonizando Thoma hæretico Nestoriano rursus errasse constituat, & proinde caput nonum libri sui primi de beatitudine sanctorum annihilat.

77. Idem Bellarminus lib. 3. de Incarnatione cap. 8. 9. & 10. palam docet, attributa & idiomata divina non esse humanitati communicata, aliàs secuturam totius Trinitatis incarnationem: nec mansuras proprietates Naturarum distinctas: & si communicentur, non esse amplius proprietates, sed communitates & c.

78. Demonstrabimus autem, oportere Iesuitam, nolit velit, idiomatum divinorum communicationem humanæ Christi naturæ concedere, ni proprias suas hypotheses diruere velit & evertere.

79. Nam lib. 4. cap. 1. scribit aperrè: Catholicorum communis sententia semper fuit, Christi animam AB IPSA SUA CREATIONE repletam scientia & gratia, ITA, VT NIHIL POSTEA DIDICERIT, QUOD ANTEA NESCIRET. Et cap. 2. Ad secundam difficultatem respondeo: Licet Iohannes & alii homines ita fuerint pleni initio, ut tamen adhuc potuerint proficere, tamen Christum NON POTVISSE PROFICERE: quia initio accepit gratiam SINE MENSURA, alii verò acceperunt cum mensura.

80. Porro ad locum Luc. 2. Iesus autem proficiebat sapientia, ætate & gratia, annotat Iesuita, se amplecti expositionem Patrum, quod Christus profecerit sapientia & gratia, OPINIONE HOMINUM, quibus indices magis aperiebat sapientiam suam. Et quod Lucas adjicit, APVD DEVM, referendum putat non ad sapientiam, sed ad gratiam.

81. Alterum locum Marci 13. quod neq; filius sciat diem iudicii, sic exponit, quod filius dicatur nescire, quia non sciebat AD DICENDVM ALIIS, & quia eos nescientes faciebat. Et hæc omnia quidem Bellarminus refert ad scopum suum de scientia ANIMÆ Christi, quod titulus ostendit, & rationes quibus pugnat, inter quas hanc primo ponit loco: non est ullo modo credibile, ut Verbum personaliter factus sit homo & non simul effuderit in ipsa incarnatione in illam HUMANITATEM omnia dona quorum capax erat. Nam si fecit illam ANIMAM, Animam suam propriam, ita ut verè dicatur & sit anima Dei: quemodo verisimile est, non illam continuo sapientissimam reddidisse?

C. 2

Equi-



82. Equidem ad totum illum Tractatum peculiari Scripto respondetur. Iam verò duntaxat contradictionis hominem convincimus hoc modo :

83. Christus hodie in gloria secundum humanitatem ( etiam Jesuita teste ) novit diem iudicii, novit omnium in toto mundo invocantium preces, gemitus, suspiria cordium. Cum enim hoc Pontificii tribuant etiam Sanctis, cum primis Mariæ virgini: cur Christo in dextra Majestatis sedenti negent? adhuc novit omnia, quæ à tempore Incarnationis ad hæc usque tempora in Ecclesia sunt gesta. Et quoniam diem novit iudicii, quidni & reliqua futura, quæ longè minoris sunt momenti?

84. Quia verò Christi anima juxta doctrinã Iesuiticam statim ab initio Incarnationis ea omnia noverat, quæ hodie scit, adeò ut nihil postea didicerit; sequitur Animam Salvatoris in puncto statim Incarnationis ex sententia Iesuitarum universum statum Ecclesiæ suæ longissimo tempore post futurũ, & futuras omniũ eorum qui illum usq; ad novissimũ diem invocaturi erant, preces, cordiũ gemitus, futuros omniũ Electorum suorum eventus, jam tum in principio τῆς ἐνσαρκώσεως aspexisse ac scivisse. Hoc autẽ cum sit SOLIVS infinitæ & increatæ sapientiæ ἢ λόγος: sequitur, Animam Salvatoris infinita & increata, filioq; Dei propria sapientia, reali κοινωνίᾳ unctam cujus vi hæc omnia scire potuerit.

85. Quòd autem SOLIVS increatæ sapientiæ sit, præscire rerum post multa demum secula futurarum eventus, testatur ipse Dominus Esa. 41. ex hoc opere divinam suam majestatem evincens, & vanitatem gentilium Deorũ redarguens: annunciate, quæ VENTURA sunt INFVTVRVM, & SCIEMVS, quia DII estis.

86. Sic quoq; solius increatæ sapientiæ Dei esse, aspicere tacitos gemitus suspiriaq; cordium, in his præsertim, qui demum post multa secula precaturi erant, testatur Solomon 1. Reg. 8. tu nosti SOLVS corda filiorum hominum.

87. Aut ergo Iesuita suũ de anima Christi tractatum deleat, aut increatæ sapientiæ Verbi realem κοινωνίαν Animæ Salvatoris attribuat. Cumq; sapientia increata Verbi, & omnipotentia ejus, simplicissimè sint unum quid, hanc quoq; communicatam ei statuat, omniaq; sua argumenta, quibus divinorum Idiomatũ communicationem oppugnavit, agnoscat esse falsa & ἀνακόλυσθα.

88. Idem Iesuita contendit, omnipotentia communicationem  
Huma-

825

Humanitati Christi non competere, nec verè dici posse omnipotentem. Et in disputationibus Mogunt: & Ingolstadt. affirmatur, ne nomen quidem omnipotentiae divinae tribui posse humanitati. Estq; Iesuitarum communis opinio, omnipotentiam Dei ne humanitati Christi quidem communicabilem, ideoq; & opera omnipotentiae Christo secundum humanitatem flagitiosè negant, quod Bellarminus lib. 3. de Incarnatione cap. 16. ut & alii Iesuitae non dissimulant.

89. Cum his verò, qui congruit, quod scribit Bellarminus, *Lib. 3. de Christi humanitati POTENTIAM concessam esse in omnes creaturas. Incarnat. cap. 16.* Hoc si intelligit de sola autoritate sine efficaci dominatione: ruit potentiae vocula, & pugna movetur Bellarmino à Thoma Aquinate, inter Divos à Iohanne XXII. relato, cujus haec sunt verba: Dedit omnia in manus ejus secundum Humanitatem: DOMINATUR enim omnium eorum, quae in caelo, & quae in terra sunt.

90. Sin realem & efficacem omnium creaturarum gubernationem Christo ut homini tribuit Bellarminus! cur ei negat *κοννω-νία* omnipotentiae, cujus SOLIVS ita proprium esse dominium super omnes creaturas, ut Spiritus Sanctus in Scripturis omnipotentiam Dei non minus ex universorum dominatu probet, quam ex illorum creatione. Iob. 12. 37. 39. Esa. 40. 41. 42. &c.

91. Adhaec si Christo, quae homini, ne quidem per hypostaticam unionem cum *λόγῳ* communicari potuit omnipotentia: qui communicari potuit virgini matri, etiam circa Unionem cum Deo hypostaticam? quando acclamatur illi in Psalterio Mariae: Domina nostra OMNIPOTENS, post Deum nomen ejus &c. Cur sessio ad dextram Dei vendicatur illi, dum ex cantico (Te Deum laudamus) horribiliter corrupto accinitur ei: Tu cum filio sedes IN GLORIA PATRIS: cur omnipotentiae opera illi tribuntur, quod suos cultores protegat DEXTRA sua, quod VIRTUTE sua capita inimicorum conterat, quod propter imperium & magnificentiam dextrae suae conterat ac dissipet omnes adversarios: quod venientium ad se omnium laborantium & tribulorum animabus refrigerium det & solatium, quod AEDIFICET DOMUM CORDIS NOSTRI, quod de Sedi- bus mittat sapientiam Dei, per quam illustrentur homines: quod item (ut alio loco tradunt) infirmos visitet, & MORTUOS

TVOS RESVSCITET, & innumera hujus generis, quæ non nisi ab omnipotentia Dei vel expectari, vel etiam præstari possunt.

92. Quid ergo mirum, quòd in Hortulo animæ Mariam collocarunt supra Christum, acclamantes ei: Gaude matrona cœlica, ancillâ Iesu Christi te vocare voluisti. Sed ut docet lex divina, TV IPSIVS ES DOMINA. Nam jus habet & ratio, matrê PRÆ-ESSE filio. Ergo ora suppliciter, & PRÆCIPE SVBLIMITER, ut nos in mundi vespera, ad regna ducat superna.

*Efficacia  
illusionis  
2. Theff. 2.*

93. Quid mirum quòd Martinus Isengrenius apostata in exauditionis alacritate, & efficacia precum, & auxiliandi promptitudine Mariam Virginem toti adorandæ Trinitati, per blasphemiam non verbis sed cœlesti fulmine vindicandam, præfert, in sua fabula publicis typis exscripta, qua nugatur, cum puella quædam demoniaca esset adducta in capellam Beatæ Virginis, Veteris Oringæ, & auxilium imploraretur Dei Patris, Filii, & Spiritus Sancti, Diabolum NIHIL fuisse motum: cum verò Lauretana Litania de beata Maria incoaretur, tunc demum Satanam cœpisse, in obsessa turbari, clamare, furere. Mox verò Canisium (Iesuitam) ligneam cariosam Mariæ imaginem arreptam imposuisse capiti puellæ obsessæ, & cœpisse Diabolum exclamare: ah mulier, quid me calcas, & caput meum conteris?

94. Si oggrunniant Pontifici de Psalterio Mariæ, non debere, quæ in eo continentur, imputari Romanæ Ecclesiæ: quidni re ipsa testantur, se agnoscere, horrendam in eo doceri idolomaniam, eamq; cum animarum exitio sempiterno fuisse olim celebratam cunctis iis locis, in quibus idololatricum illud Psalterium Mariæ receptum fuit?

95. Sed repugnat insuper illorum exceptioni praxis Ecclesiæ Romanæ, a quâ hoc Psalterium publicè receptum, usurpatum & decantatum fuit, atq; etiamnum in usu est, idq; ipsimet Jesuitæ subinde recudi faciunt.

96. Accedit huc autoritas Romanorum Pontificum Sixti IV. & Innocentii VIII. qui hoc impium Psalterium voluerunt haberi sacrosanctum. Et Sixtus quidem fraternitatē ab hoc Psalterio Mariæ peculiariter cognominatam amplissimis indulgentiis confirmavit. Innocentius autē eas indulgentias etiam locupletavit, ita quidem, ut si Pontificū Indulgentias (supputante Alano) in unā summā redigas, prodeant indulgentiæ annorū sexagesies mille.

AUC



97. Aut ergo Pontifices hi, stabiliendo Psalterium Marianum, sua auctoritate, exemplo & indulgentiis, per horribilem errorem alios in idololatriam & consequenter in gehennam precipites egerunt: Aut si Papistæ illos errasse negent: non habent, quod contra auctoritatem Psalterii excipiant, atq; sic tenentur affecti pessima cum conscientia ad approbationem notoriæ impietatis, quod Mariæ plus divinæ majestatis tribuendum sit extra & citra unionem cum Deo hypostaticam, quam Christo ut homini per & propter unionem hypostaticam cum Deo Verbo. Sed ad alias antilogias Pontificiorum nos convertimus.

98. Majestatem Omnipræsentia Christi secundum humanitatem *διὰ τὴν ἰσότητα* negant hodie Iesuitæ, estq; jam apud ipsos receptum dogma, Christum sua humanitate tantum esse in cælo & in Sacramento. Quod autem extra Sacramenti actionem sit nobis, quæ homo, præsens in nostris afflictionibus: id verò furibenter ac sceleratè damnant.

99. Ad necedendum eis nodum contradictionis possemus obficere Jacobi Fabri Stapulensis testimonium de Humanitatis Christi omnipræsentia, oppugnatum quidem à Sophistis Parisiensibus, sed invito Rege Francisco, qui illum ex mera invidia oppugnari unâ cum cæteris doctissimis viris rectè judicabat.

100. Verùm quia contra Stapulensem forte ad exemplum Sophistarum de Sorbona excipient: objicimus eis Paulum Kenterium, qui dilucide scribit, in suis propositionibus, facillimum esse multis & firmis rationibus probare Christum ubiq; esse corpore suo. Eas deducit ex assumptione Christi in gloriam Dei, ex indivisibili unitate personæ, & ex omnipotentia communicatione Matth. 28. & concludit his verbis: Ergo corpore suo ubiq; est, & in terris simul & in cælo versatur.

101. Objicimus insuper Iohannem Ertilium, qui ad unguè hoc asserit, quod alibi demonstratum & verba ejus allegata sunt.

102. Opponimus & Casparum Francum apostatam, qui in Scripto, quo suæ defectionis rationes exponit, ad probandam invocationem Sanctorum adducit dictum Hieronymi: Si agnus ubique est, ergo & Sancti, qui sequuntur agnum, ubique esse censendi sunt.

*Hieronymo.  
adversus Vg-  
gilantiam,*

103. Quid, quod in Psalterio supradicto, virgini Mariæ ad-  
scribitur, quod in omni tribulatione, præcipuè in hora mortis  
adfig

adfit cu'roribus suis, ad auxiliandum eis, & excipiendos illorum spiritus, & deducendos ad regna cœlorum.

104. Et ex compassionibus Mariæ in eodem Psalterio sic ei acclamârunt: Ave Maria, salus & consolatrix vivorum & mortuorum: **M E C V M S I S I N O M N I B V S T R I B V L A T I O N I B V S**, tentationibus, necessitatibus & angustiis, & maximè in hora mortis meæ.

105. Rursum ergo Mariæ majestas præsentia in omnibus necessitatibus suorum cultorum, tribuitur etiam citra unionem: quam majestatem Christus, quâ homo, ne per unionem quidem ex Iesuitico decreto consequi valuit.

106. Sed qui suam doctrinam oppugnantem omnipræsentia majestatem conciliabunt cum dogmate Eucharistia, quod negata præsentia Christi personali, laborabit absurditatibus non finiendis.

107. Nam primò, si per præsentiam in locis omnibus, quibus missificatur in Papatu, adest verè corpus Christi, nec tamen vel extenditur, vel ob locorum diversitatem multiplicatur, vel substantia ejus destruitur, sed citra expansionem, vel multiplicationem, vel destructionem, verè adesse potest, idq; citra respectum Unionis hypostaticæ, & sessionis in dextra Majestatis (ex his namq; articulis ipsum nec in multis nec in omnibus locis adesse concedunt) quantò minus hæc enumerata absurda nobis omnipræsentia majestatem ex ipsamet unione personali, & sessione in dextra Dei, ceu immoto fundamento præsupposito deducentibus, impingi possunt?

108. Adhæc exagitando Majestatem omnipræsentia Christi, quâ homo est, nonne ad hanc prodigiosam absurditatem sese adigunt Papicolæ, ut aut simul præsentiam corporis Christi in Eucharistia negent, aut si negare nolint, necesse habeant confingere perpetuum descensum in Eucharistiam, & absoluta Missa, novam subinde receptionem in cœlos, & quotidianam ascensionem, qualem nonnulli ex Scholasticis commenti sunt, & ob multitudinem locorum, quibus missificatur, continuas perpetuasq; motiones de loco uno in alterum; quo pacto nihil erit corpore Christi irrequietius: aut si hoc paradoxum devitare velint, aliud effingent, nimirum, non id corpus, quod in cœlo olim ascendit, esse in Eucharistia, sed id manere tantum in cœlis, quoddam verò aliud

829

aliud Christi corpus, imò infinita corpora Christi, ex panibus innumera bilibus in Eucharistia confici. Sic evitato fumo planè in ignem incident. Porrò quibus aliàs quantisq; prodigiis absurditatum scateat commentum Transsubstantiationis, suo dicetur loco & ordine.

*De officio Christi, Iustificatione,  
Fide & Operibus.*

109. Christum prædicat Scriptura generis humani Mediatorem VNICVM 1. Tim. 2. & ejusmodi Salvatorem, extra quem non sit salus, nec aliud nomen sub cælo datum hominibus in quo salvari nos oporteat Act. 4. Nemo enim venit ad Patrem, NISI per ipsum Ioan. 14. qui solus calcavit torcular iræ Dei, Esa. 63. & pro totius mundi peccatis exuberantissimè satisfecit 1. Ioh. 2. qui per sanguinem proprium ingressus est semel in sancta, æterna redemptione inventa Heb. 9. & unica illa oblatione perfectos reddidit in perpetuum eos, qui sanctificantur, Heb. 10. satisfaciens non tantum pro culpa, sed etiam pro pœna, factus quippe maledictum in cruce, ut nos à maledictione legis liberaret Gal. 3.

110. Hæc tam necessaria doctrina, in cujus noticia salus æterna vertitur, propè tota jacuit sepulta sub regno Pontificio. Nec tamen ipsi inter se consentiebant in suis erroribus, sed in diversissimas opiniones erant divisi.

111. D. Iohannes Pistorius Apostata pervicaciter negat, Romanam Ecclesiam de his articulis unquam aliter sensisse quàm hodie sentiat, nec in iis errasse unquam.

112. Verba ejus ex Germanico fideliter versa sunt hæc: Est *In suâ 100.* notoriè falsum, quod articulus Iustificationis post Apostolorum *Menda-* tempora in Ecclesia Christiana paulatim magis magisq; fuerit *ciis, que* obscuratus, & tandem sub Romano Antichristiano Papatu obte- *D. Hun-* nebratus sit: sed econtra verum est, quòd à Papistis (uti nomi- *nio affir-* nantur) HODIE EADEM DOCTRINA, & quidem tam clara *git, sub* & INVARIATA, quemadmodum illam SEMPER omnes Chri- *titulo* stiani habuerunt, tradatur & illustretur: Provocamus ad omnia *quinti* Scripta Patrum & Ecclesiæ. *Mendacii.*

113. Paulò post, mendacium octavum impingens Hunnio,

D

sic

„ sic furit Apostata: Turpe mendacium est, Catholicos fiduciam  
 „ suam collocare in propriis operibus & sanctitate, & non in Dei  
 „ gratia & misericordia fide in Iesum Christum ex hac vita dece-  
 „ dere: Quod mendacium terra ipsa vindicare, & turpissimos il-  
 „ los homines vel ob hoc solum absorbere debebat: nec Hunnius  
 „ in æternum ob hoc unicum figmentum porrò quicquam fidei  
 „ habendum est. Hęc Apostata.

114. Respondeo ego Hunnius, si non ad oculum & ad consci-  
 entiam Pistorii, si qua ei est, demonstravero, summum hunc arti-  
 culum sub Papatu horribiliter fuisse obtenebratum, & ipsosmet  
 Pontificios, ejus doctrinæ, quæ olim publicè fuit in Papatu tra-  
 dita, nunc pudere, ac propriis suis hypothesebus eò adigi, ut (no-  
 lint velint) improbare illam cogantur, & in suis fateri conscien-  
 tiis, quòd errores perniciosissimi de hoc arduo capite religionis  
 publicè invaluerint: nisi, inquam, hoc à me fuerit evidentissi-  
 mè demonstratum, nolim ego mihi quicquam fidei haberi in o-  
 mnem æternitatem.

115. Principiò negari non potest, fuisse sub tenebris antea cæ-  
 ætatis, qui docerent, Patres ante Mosen salvatos esse per legem  
 Naturæ, sequentes deinde Patres post latam legem salvatos per  
 legem illam Mosis, jam verò in Novo Testamento salvari homi-  
 nes per legem Christi.

116. Quam impiam sententiam Latomus quòq; Pontificiæ do-  
 ctrinæ propugnator in suis Scriptis defendit, flagitiosè conten-  
 dens, Abrahamum (quem ante legem per Mosen latam vixisse  
 constat) non aliam de Christo doctrinam habuisse, quàm Socra-  
 tes, Plato, vel alii Ethnici habuerunt.

117. Sic in Concilio Tridentino Monachus Franciscanus Tri-  
 denti publicè concionatus est, gentiles, qui vitam honestam  
 duxerint, etiam sine cognitione Christi salvatos esse, & hanc  
 esse genuinam Pauli sententiam, in Epistolæ ad Romanos capite  
 secunda: qua de re Theologi Protestantium, qui à suis Magi-  
 stratibus ad Concilium missi fuerant, ad Cæsaris Oratores sunt  
 conquesti.

118. Andradius, qui non minus interfuit ei Concilio, judicat,  
 Philosophos, Ethnicos, ea, quam ex Philosophia habuere, cogni-  
 tione salutem consecutos. Eam cognitionem appellat fidem,  
 „ qua sint salvati. Verba ejus sunt; Nullum dubium est, fidem  
 „ necessa-

*Schleida-  
 nus lib. 23.*

necessariam esse ad justitiam & vitam æternam. Iustus enim ex fide vivet. Illa verò fides & vera Dei cognitio ad justitiam & salutem æternam, non tantum ex sacris literis divinisq; oraculis, sed ex iis etiam rebus, **QVÆ SENSIBVS** subjiciuntur, haberi potest.

119. Idcirco non veretur idem Andradius inter alia scribere: Quid de Trajano Imperatore dicam, qui **PROPTER IVSTITIAM** & pietatem, quam erga mulierem viduam exercuit, orationibus Gregorii, à pœnis **INFERNI**, **IN QVIBVS ERAT**, liberatus est.

120. Hoc cum de homine Ethnico, Christiani nominis hoste & persecutore sentiat hic Pater Concilii: nonne doctrinam de vera in Christum fide, quemadmodum eam sacræ literæ definiunt, planè facit ociosam & superfluam, utpote sine qua possit quis etiam fidei illius juratus hostis ex inferno ipso liberari, propter externam suam justitiam, & opus sine fide factum Evangelica? forsan juxta illud: Quicquid ex fide non est, peccatum est. Sic ergo Trajanus ipse sibi suo opere Salvator fuit & Mediator. Pulchrè.

121. Bellarminus etsi hanc narrationem de Trajano confictam esse judicat: tamen si vera sit, alium ipse quoq; Servatorem ei constituit, nempe Gregorium. Dicit enim: Si hæc historia defendi debeat, oportere dicere, Trajanum non fuisse damnatum absolute ad inferos, sed solum punitum **IN INFERNO** secundum præsentia ejus demerita, & suspensam sententiam **PROPTER PRÆVISAS GREGORII PRECES**.

122. Iudicet lector, annon hoc pacto liberatio hominis hærentis in ipso jam inferno, è quo nulla redemptio est (Luc. 16.) attribuaturo merito precum Gregorii: cum tamen sacræ literæ ne filii Dei quidem meritum eò usque extendant, ut si quis neglecto tempore gratiæ in **FINALI** impœnitentia decedat, præsertim Christiani sanguinis atque nominis hostis acerbissimus (qualis fuit Trajanus) rursus ex ipsismet gehennæ flammis atque faucibus eripiatur.

123. Videat insuper ac judicet Apostata Pistorius, an hac ratione ad Solum, solum, solum meritum Christi, salutis omnis ratio referatur, sicut ille quidem fingit factitare Romanam Ecclesiam.

D 2

Et

124. Et quia Pistorius ad præstringendos oculos imperitorum in Scripto Germanico adversus me divulgato pag. 18. tam scribit Splendidè, Christi meritum Solum, Solum, Solum, nos efficien-  
*D. Kei-* ter & meritoriè justificare & SALVARE, & mereri omne, quod  
*fersber-* nobis ad salutem est necessarium: haud abs re quærimus ex illo,  
*gius inquit* QUANDO Christus nobis justitiam & salutem sit meritum? Si  
*conc. de* respondeat, in ipso opere passionis & mortis id esse factum:  
*Ascens.* concedit quod statim attextit de nostro merito, & quod ipsemet  
*Christi fol.* Thesi 262. scribit, opera charitatis & justitiæ MERERI vitam  
 73. Chri- æternam.

*stus meruit* 125. Quis enim locus esse queat merito nostro, ratione vitæ  
*nobis cœlū,* æternæ, si Christus ante multa secula nobis eam sufficientissimè  
*quoad suf-* est promeritus? Ipsius certè meritum, quippè exuberantissimum  
*ficientiam,* & absolutissimum, nostro alicui merito locum relinquit planè  
 NON quo- nullum.

*ad EFFI-* 126. Imò quòd obedientiam Christi planè non sinat Pistorius  
*CACIAM.* esse justitiam nostram, hinc patet, quia si ea est nostra justitia, aut  
 est per imputationem, aut per inhæsiōem. Non per inhæsiōem,  
 quia consistit in opere Christi ante multa secula extra nos præsti-  
 to. Imputationem autem illius rejicit acridet Apostata. Ergo  
 obedientiam Christi planè negat esse nostram justitiam.

127. Quòd si ex latibulis æquivocationum extractus Sophista  
 respondere volet, passionem Christi non immediatè nobis me-  
 ruisse vitam ipsam æternam, sed infusionem solum virtutum,  
 quibus deinde virtutibus Nos justificemur & porrò mereamur  
 ipsam vitam æternam: quis non videt, hoc pacto sublime officium  
 salvationis inter nos & Christum ita secundum distinctas  
 partes distribui, ut Christus quidem immediatè nobis sua passi-  
 one mereatur id, quod MINVS est, videlicet infusionem virtu-  
 tum: Nos autem merito immediato & propinquo mereamur  
 id, quod incomparabiliter MAIVS & augustius est, nimirum  
 ipsam vitam æternam.

128. Sed quid Keisersbergio celebri Doctore Pontificio re-  
 spondebit Apostata, asserenti in cōcione de Ascensione Christi,  
 fol. 73. quòd sicut Christus propria virtute, hoc est, proprio me-  
 rito ascenderit in cœlos, sic quemq; SVO PROPRIO ME-  
 RITO ascendere oportere. Nam Meritum Christi NON esse  
 causam totalem nostræ salutis. Du must dein steur vnd hülff auch  
 darzu

darzu thun/ inquit. Quid Iesuitis in Censura Coloniensi dicentibus fol. 136. DE NOSTRO est beata illa æternitas promerenda, præstandumq; est aliquid EX PROPRIO. Quid deniq; toti cæteræ Scholasticorum Doctorum respondebit, quos unanimiter docuisse constat, ne quidem illam virtutum infusionem, quam Pontificii gratiam primam appellitant, à solius passionis & mortis CHRISTI merito dependere, sed impetrari eam gratiam merito hominis etiam non renati, & adhuc Deo inimici, quando videlicet ejusmodi homini ex puris naturalibus facienti, quod in se est. Deus ex congrui Merito suam gratiam infundit.

129. Hoc dogma fuisse per regnum Pontificium undiq; receptum, nec ab ullo Pontifice superiorum temporum damnatum (sicuti quidem ad innumerabilium animarum interitum averendum damnari oportebat, si curæ fuissent eis oves Christi) negare non potest Apostata, si vel illa crepent ei: quæ ideo huc referemus, ut os obturetur, non ipsi modò, sed reliquis etiam parasitis Antichristi, vociferantibus, Ecclesiam Romanam nunquam errasse, & injuriam ei fieri, quando tam absurdi & blasphemii errores ei tribuuntur.

130. Thomas Aquinas prima secundæ quæst. 114. sic scribit: Opus meritorium hominis dupliciter considerari potest: uno modo, secundum quod procedit ex libero arbitrio: alio modo, secundum quod procedit ex gratia Spiritus sancti. Si consideretur secundum substantiam operis, & secundum quod procedit ex libero arbitrio: sic non potest ibi esse condignitas propter maximam inæqualitatem: sed est ibi CONGRUITAS, propter quandam ÆQUALITATEM PROPORIONIS. Videtur enim CONGRUVM, ut homini operanti secundum suam virtutem, Deus recompenset secundum excellentiam suæ virtutis.

131. Et 2. sentent. 27. quæsti. 4. opera bona ANTE DOMINUM GRATIÆ facta, præmio suo sibi proportionato non carent. CAUSANT enim quandam habilitatem AD GRATIAM. *At quicquid non est ex fide,*

132. Et paulò post: Sic dat Deus gratiam indignis, quia his dat, qui non sufficienter adhuc digni sunt, sed habent tamen aliquam DISPOSITIONEM ad recipiendum, ex quo dicuntur quodam modo EX CONGRVO GRATIAM MERERI. *peccatum esse*

133. Thomæ adjungimus Gabrielem Biel. Is 4. sent. dist. 16.  
 „ quæst. 2. prop. 4. sic papizat: Bona opera moraliter EXTRA  
 „ CHARITATEM facta, MERENTVR DE CON-  
 Nota. „ GRVO multa bona SPIRITUALIA. Pater, quia merentur  
 Opera „ GRATIAM IVS TIFICATIONIS, & augmentum vir-  
 non re- „ tutum, quæ sunt bona SPIRITUALIA. Primum patet, quia  
 natorum „ peccator disponens se ad gratiam, faciendo quod in se est, MERE-  
 ME- „ TVR GRATIAM PRIMAM, qua IVS TIFICATVR,  
 REN- „ DE CONGRVO.  
 TVR „ 134. Secundum etiam patet, quia moraliter bona generant  
 GRATI- „ & augmentant virtutes morales ex 2. Ethic. Et per hoc mediatè  
 AMIV- „ merentur aliquid beatitudinis, TANQVAM CAUSA CAU-  
 STIFI- „ SÆ, quia in eo quòd merentur gratiam de congruo, (cui corre-  
 CATI- „ spondet gradus beatitudinis, sunt causa meritoria MEDIATA  
 ONIS. „ illius gradus beatitudinis.)  
 O Ceci- „ 135. His accedat Stephanus Brulifer, cujus non exigua sub-  
 ratem. „ Papatu fuit autoritas. Is scribit 2. sent. dist. 5. quæst. 6. Omnis a-  
 „ ctus virtuosus moraliter factus. ETSI TALIS NON SIT IN  
 Notet „ CHARITATE, est MERITORIVS DE CONGRVO, scilicet  
 hoc Apo- „ bonorum temporalium. Est etiam DISPOSITIVE MERI-  
 stata „ TORIVS VITÆ ÆTERNÆ, quia est meritorius de con-  
 Pistorius. „ gruo, GRATIÆ,  
 136. Quartus etiam procedat Durandus de Sancto Portiano.  
 Is 1. sent. dist. 17. quæst. 2. testatur, hanc sententiam de merito  
 congrui, quomodo homo etiam non renatus gratiam mereatur,  
 esse omnium Scholasticorum Doctorum communem sententiam.  
 „ Verba ejus audiamus: Ad mereudum solum de congruo non est ne-  
 „ cessarium ponere in nobis gratiam vel charitatem habituales:  
 Secundum „ quod patet, quia, SECVNDVM OMNES, peccator CARENS  
 omnes, „ GRATIA poenitendo de congruo MERETVR GRATIAM IV-  
 scil. Do- „ STIFICANTEM.  
 tores „ 137. Idem docet Bonaventura libro 2. distinct. 27. quæst. 3.  
 Pontifi- „ Opus nostrum meritorium, IN QVANTVM ORTVM HABET  
 cios. „ a VOLVNTATE LIBERA, est meritorium MERITO  
 „ CONGRVI. Sic enim quodammodo NOSTRVME est, &  
 „ quasi alterius generis, quam sit ipsum præmium, quod debet ei  
 „ attribui.  
 138. Et quæstione præcedente secunda modos illius congrui-  
 tatis



tatis ( uti vocat ) explicans, eum etiam tradit, quando congrui-  
tas est sine dignitate, & sic ( ait ) peccator per B O N A opera in  
genere facta EXTRA CHARITATEM, MERETVR  
de congruo PRIMAM GRATIAM: ibi est enim quaedam  
congruitas, quod facit, QVOD IN SE est: non est tamen con-  
dignitas, QVIA INIMICVS DEI est, & indignus pane, quo  
vescitur.

139. Observa, hominem peccatorem & adhuc inimicum Dei,  
secundum Matæologiam Bonaventuræ posse facere B O N A ope-  
ra, quæ EXTRA CHARITATEM facta MEREANTVR  
de congruo primam GRATIAM, quam virtutum infusionem &  
Iustificationem appellant.

140. Huic contradicit Magister ipse sententiarum Petrus *En con-*  
Lombardus lib. 2. Senten. dist. 41. scribens: à quibusdam non ir-*sensum.*  
rationabiliter astruitur, qui dicunt, O M N E S actiones & volum-  
tates hominis sine fide malas esse, quæ fide habita, bonæ existunt.  
Vnde Apostolus ait: Omne quod non est ex fide, peccatum est.  
Quod exponens Augustinus ait: Omnis infidelium vita peccatum  
est, & nihil bonum est in summo bono. Vbi deest agnitio æternæ *Si peccatū*  
veritatis, falsa virtus est etiam in O P T I M I S M O R I B V S, *quomodo*  
Et Iacobus in Epistola Can. ait, qui offendit in uno, scilicet in cha-*mereatur*  
ritate, factus est omnium reus. Qui ergo fidem & charitatem *gratiam*  
non habet: O M N I S ejus ACTIO PECCATVM est, quod ad Dei  
charitatem non refertur.

141. Porro illa de congrui Merito doctrina impia tam fuit sub  
regno Pontificio pervulgata, ut ne quidem exorta Evangelij luce  
prorsus illam abjecerint, qui Lutherum oppugnarunt. Nam Io-  
hannes Eccius in Chylopasso Cent. 2. parag. 78. scribit: Triplex  
est meritum ( loquor de merito P R O P R I E ) scilicet meritum  
congrui, digni, & condigni. Meritum congrui est, quando pec-  
cator facit, quod in se est & pro se: sic peccator dicitur M E R E-  
R I PRIMAM GRATIAM, cum se disponit ad eam.

142. Et Cochlæus in discussione 20. art. Confess. Augustanæ  
scribit: Quod diximus, nos justificari gratis nullo nostro pretio  
aut merito præcedente, volumus hoc intelligi de Merito condi-  
gno, NON de merito congruo.

143. Similiter Iohannes à Daventria Refut. 6. art. Confess.  
August. Theologi duplex definiunt meritum, congrui scilicet  
&



& condigni. Et quòd merito condigni gratia mereri non possit,  
 cum inter se pugnent gratuitum & debitum donum: possit tamen  
 nihilominus **MERITO CONGRVI MERERI**, & quòd  
 meritum congrui nihil aliud sit, quàm **APTITVDO** quædam,  
 gratiæ Dei accommodata.

144. Et rursus: nōne (inquit) docent Catholici, hominem  
**MERERI** remissionem peccatorum, dum facit, **QVOD IN**  
**SE SIT**? Nōne contendunt, quòd Deus necessario, sic operan-  
 ti det gratiam, necessitate immutabilitatis, non coactionis?  
 Resp. planè id confitentur.

145. Robertus Bellarminus lib. 5. de Iustific. cap. 22. eandem  
 lethiferam crambem suis hominibus opponit, scribens: Potest ho-  
 mo **NONDVM RECONCILIATVS** per **OPERA**  
**POENITENTIÆ** impetrare, & **MERERI EX CON-**  
**GRVO GRATIAM IVSTIFICATIONIS.**

146. Idem dogma tradiderunt Franciscus Maronis, Antoninus,  
 Iohannes Major, Nicolaus de Orbellis, Guilielmus Parisiensis,  
 Iohannes Scotus, Nicolans de Nise, Discipulus, Michaël Loch-  
 meyer, Ambrosius Spiera, & Durando teste, **OMNES Do-**  
**ctores.**

147. Hoc dogma, (quemadmodum id Thomas, Bonaventura,  
 & alij Scholastici Scriptores, olim Angelici, Seraphici, Cheru-  
 bici, igniti, illuminati, profundi, subtiles & irrefragabiles cogno-  
 minati, locis allegatis definiunt (Pistorius aut probat aut impro-  
 bat. Si probat, verba sua, quibus tam splendide de **SOLO, SOLO,**  
**SOLO** Christi merito concionatur, unalitura debeat, simul  
 cum his Doctoribus statuat necesse est, opera moralia, etiam sine  
 vera fide & charitate facta **NON RENATIS**, & inimicis  
 Dei, primò quidem ex congruo mereri gratiam primam seu infu-  
 sionem justificationis & virtutum, secundariò autem mereri vi-  
 tam ipsam æternam. Quod sic demonstramus.

*Hoc modo* 148. Quicquid est causa causæ, est etiam causa (mediata) cau-  
*apertè ra-* sati. Opera, etiam non renatorum, sine vera fide & charitate facta,  
*tiocinan-* sunt ex sententia Scholasticorum, causa meritoria primæ gratiæ  
*tur Gabri-* & justificationis ex congruo: Ergò sunt etiam causa (mediata)  
*el, & Bru-* causati, videlicet vitæ æternæ ab illa gratia & justificatione,  
*lifer locis* quam merentur, dependentis.

*citatis.* 149. Sin respondeat Pistorius, se hoc dogma Scholasticorum  
 non

non probare, nonne conscientia ejus clamat, periculosissimū errorem circa fundamentū ipsum salutis, fuisse publicè frequentatum sub regno Pontificio? quē si nolit Romanæ Ecclesiæ tribui, demonstret nobis ullum Papā, qui (ex officii ratione) hæreticum istum errorem unā cum illius propugnatoribus damnarit.

150. Sed non modò non damnarunt eos Romani Pōtiffices, verū etiam defensores hujus impietatis inter Divos collocarunt, Thomam quidem Iohannes 22. Bonaventuram verò Sixtus 4.

151. Sin dicat, ideo non damnatos, quia sua scripta submiserint iudicio Ecclesiæ: tum respondeat nobis, anne sic comparatum sit cum regno Pontificio, ut impunè liceat errores spargere cum salutis fundamento pugnantem, & alios unā secum in gehennæ harathrum præcipites agere, dummodò qui perversas illas opiniones tradunt, profiteantur, se submittere sua iudicio Ecclesiæ? Itane?

152. Adhæc si Romanæ Ecclesiæ iudicio submiserunt, ubi fecit ea Ecclesia suum officium, ut errorem adeò turpem, & animabus hominum extremè exitiosum damnaret? in quo Concilio? quo Decreto? Canone? Bulla? qua vel minima significatione?

153. Imò hos sententiariorum Doctores Ecclesia Romana tanquā doctrinæ suę fideles interpretes summo in pretio semper habuit, & partes eis vel primas, quin & locum inter Divos, uti modò dictum est, attribuit.

154. Antequam progrediamur ad meritum condigni, velim ad sequens argumentum mihi respodeat Pistorius; Si quis docet, voluntatem humanam posse EX SVIS NATVRALIBVS diligere Deum PERFECTE ET SVPER OMNIA: is concedat oportet, quòd & proximum perfectè possit diligere atq; sic ex naturalibus suis implere legem, & consequenter etiam sine gratia justificari ex mera libertate arbitrii. At prius docent Gabriel Biel & Sorbonistæ Parisiensis. Ergo re ipsa statuunt, hominem etiam sine gratia justificari ex mera libertate arbitrii.

155. Minor patet ex illorum propriis verbis. Gabriel Biel. 3. *Rom. 8.*  
Sent. distinct. 27. quæst. 1. prop. 1. scribit, viatoris Voluntas hu- *dicatur:*  
mana EX SVIS NATVRALIBVS potest diligere Deum *sensus*  
um super omnia. Probatio, omni dictamini rectæ rationis potest *carnis*  
se voluntas ex suis naturalibus conformare. Sed diligere Deum *INIMI-*  
SUPER OMNIA est dictamen rectæ rationis. Ergo illi se *CITIA,*  
potest

E

potest

*est ad-* potest voluntas EX SVIS NATVRALIBVS conformare, & per  
*versus* ,, consequens Deum SVPER OMNIA diligere.

*Deum.* ,, 156. Præterea homo errans potest creaturam diligere super  
 ,, omnia, & frui ea ex puris naturalibus. Ergo PARI RATIONE  
 ,, potest DEVM diligere, super omnia, & eo FRVI EX PVRI  
 ,, NATVRALIBVS.

*Quest.* 157. Porro in Sorbona Parisiorum hæretica hæc propositio  
*Theol.* ,, antè annos nō ita multos publicè disputata & defensa est: ad ob-  
*Paris.* ,, servationem præceptorum Decalogi NON REQVIRITVR  
*pag. 20.* ,, GRATIA, cūm omnium gentium opera peccata non sint. Sic er-  
 ,, go Minore propositione stabilita consistit Conclusio, quòd etiā  
 sine gratia per observationem præceptorum Decalogi ex puris  
 naturalibus profectam homo justificari possit.

158. Nec est, ut hæc D. Pistorius eminus allatret, tanquam ad  
 Romanam Ecclesiam nihil pertinentia. Quam exceptionem tum  
 nobis persuaserit, cūm ostendet, Pontificem illa Scripta retulisse  
 in catalogum librorum hæreticorum & damnasse, aut quando  
 etiamnum persuadere poterit Romano Pontifici, ut condemna-  
 tionis atro calculo talia scripta notet, quod ille faciet ad Græco-  
 rum Calendas.

159. Quàm pulchrè quoque convenit cum Pistorii pronun-  
 ciato de SOLO, SOLO, SOLO Christi merito, quorundam  
 opinio Scholasticorum docentium, Christum olim in cruce pro  
 originali quidem peccato satisfecisse; & actualibus baptismum  
 antegressis, pro sequentibus verò actualibus peccatis satisfieri  
 Deo per Missas.

*Aliud do-* 160. Thomæ Aquinatis verba sunt, cap. 1. de venerabili sacra-  
*set Spiritus* mento: Sicut corpus Domini semel oblatum sit in cruce pro  
*sanctus 1. 10* debito ORIGINALI, sic offerri jugiter pro nostris quotidianis  
*ban. 1. & 2.* delictis in altari.

161. Et quanquam contra hunc Doctorem Angehcum (scili-  
 cet) Pistorius aliq; Scriptorculi propter causam aliquoties alle-  
 gatam excipere non possunt: tamen observatu dignum est, quòd  
 etiam ex recentioribus aliqui & inter hos, Ambrosius Cathari-  
 nus, Lutheri persecutor, Scriptis Romæ editis hunc errorem  
 palam defenderit.

162. Sic verò Christus ne remissionem quidem omnium pec-  
 catorum nobis acquisivit sua passione & morte, sed eorum duntaxat,

taxat,

taxat, quæ baptismum antecédunt, quomodo ergo à peccatis omnibus (quæ non omnia expiavit) justificari possumus solius Christi merito? & quomodo stante hac doctrina subsistet Pistorii affirmatum de SOLO, solo, solo Christi merito nos salvante?

163. Sed adhuc pressius urgere juvat impium Apostatam, proferendo, quid de Merito Condigni docuerit olim (sed quid dico olim, imò ex parte etiamnum hodie) Romana Ecclesia? cuius dogmatis fumo piceo Iustificationis articulus totus obtenebratus fuit & sepultus. *De merito condigni.*

164. Thomas Aquinas prima secundæ, quæst. 114. Art. 7. hoc velut axioma ponit: Quilibet actus charitatis MERETVR ABSOLVTE vitam æternam. Cuperem hinc à Pistorio discere, si quis mille actus charitatis edat, an totidem mereatur vitas æternas? si quidem quilibet illorum est unâ vita æterna dignus, & quidem ABSOLVTE. *Notetur vocula absolute.*

165. Idem libr. 2. sentent. distinct. 27. quæst. 3. proponit discrepantes opiniones Sententiariorum Papisticorum: quidam (ait) dicunt, quòd aliquis vitam æternam non potest mereri ex condigno, sed ex congruo. Alii verò dicunt, quòd quis etiam ex condigno vitam æternam possit mereri per actus virtutum: Thomas ergo suam sententiam interponens, post aliqua sic respondet: Illi tamen qui dicunt, nos EX CONDIGNO vitam æternam MERERI posse, VERIUS DICERE videntur.

166. Franciscus Mayronis libr. 4. sent. dist. 12. quæst. 3. quòd contritio sit sufficiens dispositio AD DELENDVM PECCATVM DE CONDIGNO, probo. Ille actus est sufficiens dispositio ad delendum peccatum, qui DE SE est sufficiens ad vitam æternam DE CONDIGNO: sed quilibet actus contritionis est hujusmodi. Ergo.

167. Gabriel Biel lect. 59. super Can Missæ: Meritum condigni SVPER rationem Meriti ADDIT DEBITVM reddendi præmii SECUNDVM IVSTITIAM.

168. Nicolaus de Orbellis 4. Sentent. distinct. 14. part. 12. Actus contritionis potest ita esse intensus, ut MERETVR remissionem CVLPÆ & POENÆ, ita quòd etiam nullam pœnam in purgatorio sustineret, si ita decederet: quod

E 2

patet

pāter de latrone, cui Dominus dixit: Hodie mecum eris in paradiso.

196. Hanc Scholasticorum doctrinam falsam, & in meritum unigeniti filii Dei extreme contumeliosam, Concilium Tridentinum non damnat sed approbat, hoc scelerato Canone: Si quis  
*Seß. 6.* ,, dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non  
*can. 32.* ,, sint etiam bona ipsius justificati MERITA: aut ipsum justifica-  
 ,, tum, bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Iesu Christi  
 ,, meritum, cujus membrum vivum est, fiunt, nõ VERE MERERI  
 ,, augmentum gratiæ, VITAM ÆTERNAM, & ipsius vitæ æternæ,  
 ,, si tamen in gratia discesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ  
 ,, augmentum, anathema sit.

170. Ne autem hic ulla pateat rima sedis Pontificiæ Gnatho-  
 nibus, neve prætexant, istam condignitatem, de qua loquuntur  
 Scholastici, nisi sola Dei promissione aliàs gratuita & indebita,  
 jam verò postquam promulgata est, suo modo debita: idcirco  
 fuerit operæ pretium ipsosmet audire Scholasticos, quomodo  
 eam condignitatem definiant, & unde illam dependere statuunt.

171. Gabriel Biel supra citato loco sic commentatur: quod di-  
 ,, citur, quòd passiones hujus temporis non sint condignæ ad fu-  
 ,, turam gloriam: verum hoc est, in quantum sunt compassionis.  
 ,, Sunt autem condignæ, IN QUANTUM FIUNT EX CHA-  
 ,, RITATE, QUÆ actionibus & passionibus dat efficaciam &  
 ,, VALOREM.

172. Hic meriti condignitas non promissioni alicui gratiæ  
 tribuitur, sed apertissime docetur, charitatem (cujus scilicet in-  
 fusionem jam antè sit meritis ex congruo, uti supra disputantes  
 audivimus) dare VALOREM nostris afflictionibus, ut sint me-  
 ritoria futuræ gloriæ. Hoc notet Pistorius.

173. Huc pertinet etiam illud (ABSOLVTE) à Thoma Aquina-  
 ,, nate & Nicolao de Nise usurpatum, quando asserunt, quemlibet  
 ,, actum charitatis mereri vitam æternam ABSOLVTE. Quò  
 condignitas meriti vitæ æternæ, ipsismet per se operibus sine am-  
 biguitate transcribitur.

*Coronaju-* 174. Idem volunt, quoties affirmant, vitam æternam esse  
*stria dici* meritum bonorum operum EX IVSTITIA DEI. Hinc il-  
*tur, quia* lud Thomæ lib. 2. Sent. distinct. 27. quæst. 3. quando ratiocina-  
*per ju-* tur hunc in modum: Nihil ex IVSTO JUDICIO redditur,  
 nisi

nisi quod quis meretur. Sed vita æterna corona **IUSTITIÆ** *“iustitiæ”* dicitur (2. Tim. 4.) quia pro ea reddetur ex **IUSTO** *“Christi”* iudicio, si- *“nobis”* cut depositum redditur. Ergo aliquis coronam iustitiæ mere- *“parta, &”* tur. *“danda his,”*

175. Bonaventura vult etiam juxta iustitiam dari suis o- *“qui iusti”* peribus vitam æternam: Ideo lib. 2. sent. dist. 27. dicit: sicut ali- *“sunt per”* quis non esset contentus, si de semine non reciperet decuplum; *“fidem.”* sic **NULLVS POSSET ESSE CONTENTVS** *“fidem.”* ex operibus meritorijs factis, **NISI** pro eis reciperet præmi- *“”* um **PERFECTVM**, quod complet & terminat totum desi- *“”* derium. *“”*

176. Ibidem Bonaventura condignitatem Meriti refert etiam *“”* ad operis arduitate; si consideretur (ait) operis **ARDVITAS**, *“”* quia tale opus sic est in voluntate facientis, ut sit supra vires, ut ho- *“”* mo elevetur in faciendo ipsum supra se, & bono proprio præpo- *“”* nat bonum æternum: **HINC** est, quod tale genus operis æterna *“Hinc, se.”* remuneratione est **DIGNVM**, & sic per ipsum mereri contin- *“ex illa”* git **MERITO CONDIGNI**, *“arduita.”*

177. Plurimum quoque facit ad sententiam Scholasticorum li- *“”* quidius cognoscendam argumentum, quo utuntur, videlicet: pec- *“”* cata ex condigno merentur pœnam æternam. Ergo bona opera *“”* ex condigno merentur vitam æternam. *“”*

178. Certè Thomas Aquinas, Antichristiani regni, columna *“”* præcipua, sic argumentari non veretur lib. 2. Sent. distinct. 27. *“”* quæst. 3. dicens: Sicut se habet culpa ad pœnam, ita opus virtutis *“”* ad præmium. Sed culpa **EX CONDIGNO** meretur pœ- *“”* nam æternam, Ergo actus virtutis **EX CONDIGNO** mere- *“”* tur vitam æternam. Eodem modo ratiocinatur Bernhardus de *“”* Buis part. 2. Rosarij, sermon. 20. *“”*

179. Id argumentum validius astringere cupiens Guilielmus *“”* Antisiodorensis in summa aurea lib. 3. tract. 12. hunc in modum pa- *“”* pizat: Quoniam homo ex condigno malis operibus meretur mor- *“”* tem æternam, aliter ageret Deus injustè cum eo, infligendo eam: *“”* Ergo cum bona opera **MAGIS** sint bona, quam mala opera sint *“”* mala: **MULTO FORTIUS** bonis operibus meretur vitam *“”* æternam **EX CONDIGNO**. *“”*

180. En tibi hunc Doctorem Pontificiæ, æstimantem con- *“”* dignitatem, vim atque valorem Meriti bonorum operum, ex *“”* **E 3** ipsa



ipsa qualitate illorum, ut quia plus bonitatis ea habere somniat, quam mala opera habent pravitatis, hinc inferat, bona opera fortius (& quidem Multò fortius) mereri vitam æternam, quam mala opera mortem æternam mereantur.

181. Hinc idem Autor ibidem sic commentatur: Operibus virtutum tendit homo ad beatitudinem, & sapienter. Ergo potest per ista venire ad illam. Et rectè. Ergo per bona opera potest homo rectè acquirere beatitudinem: **NEC NISI PER MODVM MERITI.** Ergo per bona opera **MERETVR** homo vitam æternam **RECTA RATIONE MERENDI.**

182. Sed alium insuper bolum D. Pistorio deglutiendum apponimus, aliud paradoxum ex hoc eodem Autore proferimus, dum rationem aliam assignat, cur bona opera ex condigno mereantur vitam sempiternam, quia nimirum in iis præstandis Deo servitium exhibeamus indebitum: quare Deum vicissim ex debito nobis obligari, ut pro bonis nostris operibus vitam nobis conferat æternam. Verba ipsa recognoscamus, quæ ibidem ita sonant:

183. Servitium gratis impensum obligat recipientem, & hæc est communis animi receptio, quoniam contrarium ejus non recipit liberalitas: aliter enim facere esset ingratitude: Sed servitium impensum Deo ex charitate, est **GRATIS** impensum, Ergo **OBLIGAT DEVM**, ad remunerationem. **TENETVR** igitur reddere præmium, aliter esset **INGRATVS**, & **INIVSTÈ** faceret cum tali, nisi redderet.

Quis  
Papa  
damna-  
vit, hac  
impia.

184. Age Pistori, num adhuc videtur tibi mentitus Hunnius, quòd scripsit, articulum justificationis sub Papatu superiorum seculorum jacuisse tenebris sepultum? qui poterat obnubilari horribilius, quam dum vita æterna (quæ donum Dei est per Christum Iesum Dominum nostrum) operibus hominum, licet reatorum, imperfectissimis tamen, & panno menstruata similibus, quin jam antè debitis (ut per ea **NIHIL** nos mereri posse filius Dei Sole clarius affirmet Luc. 17.) ceu condignam debitamque mercedem adscribitur, & quidem modis jam ex Scholastica Theologia productis, ad officium Christi Redemptoris evacuandum appositisimè comparatis.

185. Nimirum quòd opera ex charitate profecta, non modo ratione pacti seu promissi, sed etiam per se (ratione ipsiusmet operis)



operis ( & arduitat̃ suæ ( ut Bonaventura blasphemat ) & B O-  
NITATIS suæ ( ut Altsidioresis disputat ) mereantur vitam  
æternam, idq; ( ut Thomas ineptit ) ABSOLVTE, & SE-  
CVNDVM IVSTITIAM Dei distributam, per æquali-  
tatem proportionis ( ut unanimiter insaniunt ) ex condigno pla-  
nè, haud aliter, atq; mala opera merentur æternam mortem: imò  
multò etiam fortius, ut Altsidioreses eructat, & omninò NON  
NISIPER MODVM MERENDI, & quidem RE-  
CTA MERENDI RATIONE, adèd ut Deus TENEA-  
TVR operibus reddere tale præmium, nisi velit esse INGRA-  
TVS & injustus.

186. Nec potest quisquam excipere, quod hæc Theologia  
Scholastica fuerit paucorum aut obscurorum hominum. Nam eos  
nominavimus authores, quos constat superioribus ætatibus rexisse  
Ecclesias, Scholas & Academias, & in mundo fuisse celebres,  
omniaq; pulpita & cathedras complevisse sua doctrina, ita ut ab  
illorum voce & Scriptis tota penderet Ecclesia Papistica, quorum  
etiam aliqui, ut supra demonstratum est, à Pontificibus in Divo-  
rum Senatuum adscripti sunt.

187. Et quoniam hoc doctrinæ genus à nullo Pontifice fuit in-  
ter hæreses relatum: firmiter inferimus, non posse non pro do-  
ctrina Romanæ Ecclesiæ propria reputari.

188. Quomodo verò nihilominus ipsimet inter se dissenserint:  
quomodoq; præcipui illorum, Thomas & Bonaventura ( duo Di-  
vi Papistici ) deteriorem subinde partem secuti sint, id ipsorum  
met testimonijs abundè comprobatum est.

189. Videndum autem, quomodo recentiores Pontificij erga  
Scholasticam illam Theologiam sint animati. Nam ex ijs quidam  
probant, quidam improbant. Tam egregius scilicet est inter eos  
consensus.

190. Antonius Marinarius Carmelita in Oratione ad Patres " *Hæc in*  
Concilij Tridentini sic inter reliqua disserit: Nunc gravia supe- " *doctrina*  
rioris vitæ commissa memorant ( caro & Satan ) quorum non " *Schola-*  
potuerunt ( Christiani ) condignam exhibuisse satisfactionem. Sed " *sticorū*  
illi respondent: GRATIS PER CHRISTVM nobis, " *plane*  
QVIA SATISFACERE NON POTERAMVS, remissa sunt pec- " *pugnās*  
cata: non est, quod cogitemus, quia solvendo non sumus, nec di-  
gnitati mortis Christi detrahamus.

Georgius

191. Georgius Cassander, summæ autoritatis Theologus Pontificius, ad quem extant laudatissimorum Imperatorum Ferdinandi & Maximiliani secundi, de religione scriptæ Epistolæ, in sua consultatione doctrinam Scholasticam illam de justificatione haud obscure rejicit, & nostram multis in partibus probat. Verba ejus sunt: Quod subijcitur (in 6. articulo Confessionis Augustanæ) propter Dei voluntatem, NON verò, ut confidamus per ea justificationem coram Deo mereri, bona opera EX FIDE facienda, id RECTE & Ecclesiasticæ doctrinæ consentaneè dicitur.

192. Dicit etiam, exempla suppetere, ubi quoque Justificatio, quæ est post regenerationem, SOLA fide constare dicitur: ut illud Bernhardi: quisquis pro peccatis compunctus esurit ac sitit justitiam credat in te, qui justificas impium, & solam justificatus per fidem, pacem habebit apud Deum.

193. Et rursus ait Cassander: NVLLA in Deum sunt MERITA nostra, cui debita sunt omnia, quæ præstamus: cum non ex nobis, sed sola sua bonitate, si quæ bona sunt opera nostra, accepta sint & grata, à quo ut præcipuo auctore profecta sunt. Dicit etiam, Protestantium doctrinam (non posse homines justificari coram Deo proprijs viribus, meritis aut operibus, sed gratis justificari per fidem) SEMPER in Ecclesia fuisse probatam & re- tentam.

194. Notetur autem quàm diligentissimè, quod (citante Cassandro) Adrianus de Trajecto, qui postea Pontifex creatus est, in 4. sent. ita scribit: Sunt MERITA nostra, velut BACV- LVS ARVNDINEVS, cui dum quis innixus fuerit, CONFRINGITVR, PERFORAT MANVM INNITENTIS, & quasi pannus menstruatæ sunt omnes nostræ justitiæ.

195. In eandem sententiam Casparus Contarens, Cardinalis & legatus Pontificius, in Epistola sua ad Alexandrum Farnesum, Basileæ Anno 1563. edita, graviter affirmat, NVLLO modo ulla nostra bona opera verè esse aut dici posse meritoria vitæ æternæ.

196. Robertus Bellarminus his Pontificijs Doctoribus rectius sentientibus contradicit è diametro, & Scholasticorum doctrinam ex inferis in usum revocat. Et quidem in judicio suo de libro  
Concor-

Nota  
bené.

Concordiæ pag. 57. scribis, Catholicos istis operibus, quæ fiunt ex fide & auxilio Dei, NON tale tribuere meritum, ut ei respondeat ex iustitia merces: sed meritum solum impetrationis: quod (inquit) Scholastici meritum de CONGRVO, NON DE CONDIGNO, ac si opes mercede dignum esset, nominare solent. Hæc ibi. At in Tomis planè contrarium asserit, nempe bona opera justorum EX CONDIGNO mereri vitam æternam: idq; docet à Scholasticis quoque esse traditum, & esse COMMVNEM doctrinam Catholicorum. Sicut paulò post ipsius verba citabimus, ubi prius aliud quippiam expedierimus, quod jam sequitur.

197. Scribit Antonius (Scholasticus Doctor) parte 4. summæ, tit. 9. cap. 1. parag. 3. Meritum vitæ æternæ PRIMO pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundariò.

198. Hoc pronunciatum ut per se impium est, quatenus Meritum in eo defenditur, sic Apostolicæ doctrinæ in eo etiam est contrarium, quòd in negotio salutis charitas fidei præfertur, cum Spiritus sanctus æternæ salutis consecutionē adscribat fidei (non subratione meriti, sed ut illa Iesum Christū pro nobis crucifixum intueretur & apprehendit) charitati verò nostræ derogat.

199. Bellarminus huic Scholastico Doctori in re manifestè falsa subscribens, lib. 5. de Iustificatione cap. 15. sic commentatur: Fuit singularis opinio Guilielmi Altsidiorensis libro tertio tractatu duodecimo capite primo, quæstione secunda, & capite secundo, quæstione prima, MERITVM PRIVS & principalius à fide, quàm à charitate pendere. Et addit Bellarminus hanc *ἐπίκρισις*: Quæ sententia NON PARVM favere videtur erroribus huius temporis hæreticorum.

200. Et paulò post inquit: argumenta omnia, quibus supra probatum est, formalem causam justificationis non esse fidem sine charitate, sed fidem charitate formatam, ita ut PRINCIPALITER iustitia vera & Christiana IN CHARITATE consistat, probant etiam meritum principaliter ex charitate pendere.

201. Hanc hæresin ex suo Thoma hausit Jesuita. Nam is consimilem in modum (prima secundæ quæst. 114.) fuit, inquiens: MERITVM vitæ æternæ PRIMO pertinet ad charitatem: ad alias autem virtutes secundariò. Hæc illi: sed quid ad ea Pistorius?

202. Is contra sentit in suo libro, cui titulus est, *Wegweiser*  
 pag. 165. dicens, fidem omnium primam, præ cunctis cæteris esse  
 antegredientem operationem gratiæ Dei in nobis, adeoq; radi-  
 cem & FVNDAMENTVM totius insequentis justitiæ & bea-  
 titudinis. En iterum perpulchram consonantiam inter Docto-  
 res Papisticos.

203. Iam ubi ad opera tanquam charitatis fructus, dēscendi-  
 tur, patebit denuò, quæ sit inter illos harmonia. Perrexat Bellar-  
 minus telam suam, post videbimus, quomodo suis semet hypo-  
 thesibus ipse constringat & implicet.

204. Lib. 5. de Iustificatione cap. 16. contendit ex professo, ope-  
 ra justorum ex caritate facta MERITORIA esse VITÆ ÆTER-  
 NÆ EX CONDIGNO. Hunc enim titulum facit ejus capituli:  
 Et recitatis Pontificiorum diversis opinionibus (tām scilicet  
 sunt concordēs) mox suam subjicit, quam communem esse dicit  
 Theologorum. Communis autem (inquit) sententia Theologorū  
 admittit SIMPLICITER meritum DE CONDIGNO.

205. Et mox: Durandi sententia, si nihil aliud vellet, nisi me-  
 rita nostra non esse ex condigno sive ex justitia ABSOLVTE,  
 sed tantum ex hypothesi, id est, posita liberali Dei promissione,  
 non esset reprobanda. Cæterum videtur omninò velle, merita  
 nostra ex gratia Dei procedentia, adhuc non esse talia, ut eis EX  
 JUSTITIA debeat merces, sed ex SOLA Dei liberalitate. In  
 quo sensu refellitur à Theologis, communi ferè omnium con-  
 sordant, sensu: & merito.

206. Mox sequente cap. 17. pugnat, opera bona justorum meri-  
 toria esse ex condigno, non solum ratione pacti, sed etiam RA-  
 TIONE OPERVM. Dicit simul ibidem: non desunt, qui cense-  
 rant, opera bona justorum esse meritoria vitæ æternæ ex condi-  
 gno, RATIONE OPERIS, ETIAMSI NULLA EXTARET DI-  
 VINA CONVENTIO. Ita enim docet Cajetanus in l. 2. quæst.  
 114. articulo tertio. Et idem videtur sensisse Dominicus à Soto,  
 libro tertio de natura & gratia, cap. 7.

207. Et paulò post: Iam verò opera bona justorum meritoria  
 esse vitæ æternæ EX CONDIGNO, non solum ratione pacti &  
 acceptationis, sed etiam ratione OPERIS, ita ut in opere bono ex  
 gratia procedente sit quædā proportio & ÆQUALITAS ad præ-  
 mium vitæ æternæ, probatur his argumentis.

208. Ar-

208. Argumenta ejus suo loco confutabimus. Nunc pergimus in recensenda crassa & profus Antichristiana sententia Bellarmini, de quo aliàs Scriptore multum sibi gratulantur Pontificii. Is bonis operibus justorum duplicem affingit efficacitatem, quarum utraque non nisi obedientiæ Salvatoris extra nos præstitæ potest ac debet attribui.

209. Nam præterquam, quòd ait, esse illa vitæ æternæ meritoria ex condigno, neq; id ex sola liberalitate, sed ex ipsamet justitia Dei, nec duntaxat ratione pacti, sed etiam ratione operis, atque ita per se (quàm crassè profectò vix ullus Doctor in Sorbona Parisiorum sub mediis tenebris Papatus insanivit) statuit insuper, esse illa simul satisfactoria: meritoria quidem ratione vitæ æternæ, satisfactoria verò ratione pœnarum.

210. De passionibus Sanctorum scribit, ipsos PLVS passos esse, quam eorum peccata requirerent: præcipuè verò Martyriū, ait, *Lib. 1. de Indulg. cap. 2.* tam PLENAM Satisfactionem esse, ut expiare possit reatum contractum EX QUANTOVIS INGENTI NUMERO ET MAGNITUDINE PECCATORVM.

211. Cùm igitur ex Bellarmini sententia, Sancti suis passionibus & mereantur vitam æternam, & simul pro peccatis satisfaciant: Quis non videt, officium Salvatoris Christi derestandum in modum convelli?

212. / Quomodo enim solus ipse calcavit torcular iræ Dei, quomodo constabit sermo Petri: Non est VILLO alio salus, nec est datum aliud nomen sub cælo, in quo salvari nos oporteat? si sancti suis operibus & passionibus ipsimet perpulchrè tum vitam æternam mereri, tum pro peccatis possunt satisfacere? Et quomodo totum opus salutis, purgationem videlicet peccatorum perfecit Christus per SEMETIPSUM? quomodo chirographum affixum cruci delavit, & victoriam atq; triumphum *met ipsum* comparavit nobis PER SEMETIPSUM, ut Scriptura docet, si Coloss. 2. & demum per nos, per nostra opera, per nostras afflictiones talia Heb. 1. operatur?

213. Quid quòd Bellarminus ipse sibi notoria contradictione repugnat, suumq; dogma jugulat? cùm scribit lib. 2. de Indulgentiis cap. 10. Christum (sua passione) satisfecisse Deo Patri PLENISSIME, pro reatu culpæ & pœnæ temporalis & æternæ omnium peccatorum.

214. Quæ sanè verba si quis legat, ausit propè certam spem concipere; ipsum à vera nostra sententia non esse in hoc articulo alienum. At quòd sit merus fucus, ostendunt hæc jam commemorata: ostendunt & hæc commemoranda.

215. Nam si ex eo quæras de Latrone in cruce, an is virtute satisfactionis Christi protinus in paradisum sine ullo ullius ignis purgatorii interventu receptus sit, an verò ratione propriæ satisfactionis?

216. Quàm hîc expedita esset ratio respondendi, quòd ex virtute satisfactionis Christi fuisset ab omni pœna post mortem liber, quandoquidè videri vult Iesuita sentire, quòd Christus pro illo sua passione satisfecerit Deo Patri PLENISSIME, pro reatu culpæ & POENÆ TEMPORALIS (sub quam aliàs referunt Purgatorium suum) & æternæ OMNIVM PECCATORVM.

217. Quia verò intelligit, per invictam demonstrationem inferri posse, quòd ejusdem passionis Christi vigore omnes credentes ab omni pœna post mortem sint liberi, ac proinde nullum eis Purgatorium extimescendum, quandoquidem ex propriis verbis Iesuitæ pateat, Christum non minus pro reliquis credentibus satisfecisse Deo pro reatu culpæ & POENÆ TEMPORALIS & æternæ omnium peccatorum: ideo mavult locum illum de latrone, & argumentum nostrum hinc extractum, cuius vim in sua conscientia persentiscit, violentis glossis eludere, quàm Deo gloriam, & victrici veritati palmam dare, & purgatorii papistici jacturam facere.

218. Nugatur ergo in Tomis, mortem latronis durissimam patientissimo animo toleratam, & confessionem eam admirandam eo tempore, quo Christum Apostoli ipsi negabant, potuisse justè in plenam satisfactionem reputari.

*FORSAN.* 219. Nugatur in libris de Indulgentiis, fuisse forsàn in latrone tantam contritionem, vt statim omnia peccata purgaret. Quod fabulosa narratione confirmat ex Iohanne Climaco de Latrone quodam, qui tanto ardore animi peccata sua publicè patefecerit, ut revelatum sit sanctis aliquibus viris, ea omnia continuo illa satisfactione purgata fuisse atque deleta.

*Revelatum à Satana.*

220. Vides, hypocritam studio retinendi Purgatorii in ille immediatam illam latronis à cruce statim in Paradisum translationem referre per conjecturale suum (forsàn) ad ipsiusmet latronis

nis

879.  
nis satisfactionem commentitiam, quam ad veram Christi satisfactionem: quo ipso turpissimè sibi contradicit, & irrefragibili facto demonstrat, merum esse ludibrium, quando se docere simulat, Christum sua passione satisfacisse Deo patri PLENISSIME pro reatu culpæ & POENÆ TEMPORALIS (ad quam Iesuitæ suum Purgatorium referunt) & æternæ OMNIUM peccatorum.

221. Cæterum progrediendum est in labyrintho, & post Theologiam Scholasticam illam à Pontificijs sanioribus explosam, à Bellarmino autem velut ex orco revocatam, examinanda etiam paucis restat doctrina Monastica.

*Doctrina  
Monastica*

222. In ea tribuebatur justificatio & salus operibus, non jam a Deo mandatis, sed cultibus electitijs, ad inventionibus & operibus humanitatis inventis, nimirum obsequijs juxta regulas ab hoc vel illo Monacho præscriptas præstitis: quæ opera voce Esaiæ & Christi perspicuè damnata præferebant illi sub eo regno tenebrarum, operibus ab ipso met omnipotente Deo in Scriptura præceptis.

223. Hinc factum, ut Monasticen æquipararent baptismo, ditantes, Monachos tam purgari à suis peccatis per ingressum religionis (sic nominabant Monachatum) quam infans recens è baptismi fonte prodiens à peccatis suis sit lotus.

224. Ea opera nominabant supererogationis, quòd putarent, non sibi duntaxat ad consequendam cœlestem beatitudinem sufficere, sed alijs etiam, nempe suis benefactoribus (qui terrenas opes, & fundos Monasterijs vel donabant in vita, vel morituri Testamento legabant) communicare posse, confectis super ea re literis atque diplomatis.

225. Produciunt nostri copias, uti vocant, talium diplomatum, ex Originalibus in perpetuam rei memoriam etiam asservatis transfumpras, quibus hoc quod dicimus, claris verbis perscriptum extat.

226. Quin eò processit amentia Monachorum, ut persuaderent Mundo, si quis moriturus sepeliretur in cuculla Franciscana, eum à Satanae potestate planè tutum esse. Qua de causa viri quoque Principes hoc sepeliri voluerunt, ut ista ratione Merita Ordinis, induta ea veste, sibi applicarent, & feliciter ex hoc seculo emigrarent. Vnde Erasmus beatos eos prædicat pediculos, quibus in ejusmodi cucullis nidulari contigerit.

F 3

Sic

227. Sic illustri eventu comprobatum est vaticinium Servatoris de Pseudochristis, qui se pro Christo, involando ejus officium, vendituri, & in deserto atque claustris seu penetrabilibus habitaturi erant Matth. 24.

228. In libello quodam Italica lingua scripto, cui titulus est: Flosculi Sancti Francisci, docetur, Franciscum quinque Vulnerum stigmatibus impressis sibi ab Angelo, servare posse à morte æterna viros, qui ab ipsius tempore vixerunt, & vivent usque ad novissimum diem. Et Divam Mariam virginem, Matrem Domini, merito suæ virginitatis servasse mulieres, quæ vixerunt usque ad tempora S. Claræ: quæ etiam ipsa merito suæ virginitatis, in suo ipsius corpore renovatæ, servet eas, quæ porro usque ad finem mundi victuræ sint.

blasphemiam  
execrandam.

229. Quid: an non hoc est articulum justificationis & salvationis hominum non jam tenebris involvere per istam doctrinam Monasticam, sed prorsus extinguere & funditus evertere?

230. Et ne excipiat Pistorius, unius aut alterius errorem non esse tribuendum Ecclesiæ Romanæ: ideo notatu dignum est, quod cum quidam vir pius librum illum impium refutasset, opposito scripto, cui titulum fecerat: Discursus super libello, cui titulus Flosculi S. Francisci, Papa non blasphemum illum & Antichristianum libellum, sed hunc oppositum scriptum damnavit, decreto Romæ ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum publice affixo, die Decembr. 30. Anno Domini 1559. in catalogo librorum hæreticorum.

Nota  
optimè.

231. Sic quoque in libro Franciscanorum Monachorum, quem conformitatum nominant, inter cætera (folio 119. editionis Mediolanensis Anni 1510.) legitur hoc etiam horribile paradoxum, quod Franciscus cuidam fratri mandarit, ut concionaretur NVDS, cumq; frater de mercede quæreret, quam inde esset habiturus, respondisse Franciscum, quod pro eo VITAM ÆTERNAM sic habiturus.

232. Sic vita æterna sub Papatu decernebatur hominibus pro operibus non modò humanitus excogitatis, sed absurdis plane, stultis, & à publica honestate abhorrentibus.

232. Non potuit latere Pontifices, talia tradi in eo libro Conformitatum Christi & Francisci. Sed quis illorum retulit eum antehac in catalogum hæreticorum? Nullus: ut neque hodie



ille neq; crasullus Pontificum ed referet, ne suspicio concitetur Ecclesiam Romanam superioribus seculis errasse. Hinc illa misericordia in haereticissimos illos libellos. Ergo & hoc ad labyrinthum referamus papisticum.

234. Communicari posse Monachorum merita, alijsq; applicari, certum erat olim pronuntiatum. Absque hoc enim si fuisset, non potuissent hoc modo locupletari Monachorum & Monialium Collegia. Et testantur id diplomata super hac re confecta; sicut ad calcem Thesim exemplar diplomatis hujusmodi subjunximus, ex quo clarissime patet, Monachos sua opera & merita, in compensationem beneficentiae ordini prestitae communicasse alijs, idq; **IN EXPIATIONEM PECCATORVM, & VITAE AETERNAE MERITVM.**

*De com-  
municacione Me-  
ritorum.*

235. Hic vero scrupuli quidam nos turgent, quos forte Bellarminus eximere poterit. Monemus tamen, ut sit providus, ne & monasticam doctrinam suis hypothesebus evertat, pessimam iniurus gratiam apud Monachos, & seipsum proprio gladio conficiat.

236. Lib. 1. de Indulg. cap. 2. hypoth. 2. scribit, opus bonum, qua parte meritum est, **NON POSSE ALII APPLICARI**, siquidem fieri non possit, ut ex eo quod unus bene operatur, alter censeatur bene operari, ut dignus praemio habeatur. Et infert: **NON** igitur meritum suum cum alijs **COMMUNICARE POTEST**. In eandem sententiam scribit lib. 2. cap. 4. **NEGAMVS**, superfluisse (Sanctis) merita, vel ipsa merita **IN ALTROS REDVNDARE**. Idq; rursus confirmat lib. 2. cap. 9. Illa opera, quamvis supererogationis fuerint: tamen suo praemio non caruerunt, atq; ideo **NVLLA RATIO** sinit, **VT ALIIS APPLICARI** possint. Haec ille.

237. Vae ergo vobis Monachis. Nam si hoc dogma recipiatur, imminet vobis Saguntina fames. Quis enim posthac vobis det teruncium, & unde vos pascat Satanas, si communicatio illa meritum concidat.

238. Adhaec si regnet haec Bellarminiana sententia, quidni vos per enorme mendacium seduxistis, & in barathrum gehennae praecipitastis mundum nimis credulum, persuadendo hominibus, posse & velle vos vestra merita illis communicare in expiatione.



piationem peccatorum, & vitæ perpetuæ consecutionem: quæ tamen merita communicari alijs aut ad eos applicari non posse, Iesuita vester contendit apertissimè.

239. Vide autem, mi Lector, quàm sit opus firma memoria mentienti? Communicationem meritorum (ad speciem) negat Iesuita locis jam allegatis, idq; tam clarè, ut nullo colore inficiari queat.

240. Interim lib. 1. cap. 3. sui oblitus & spiritu vertiginis conceptus eandem asseverat, his verbis: illud quoq; observandum est, Episcopos dare solitos indulgentiam ad preces Martyrum, non solum ut Martyres honorarent, & ad consummandum martyrium accenderent, sed etiam quia videbant, **MERITA** Martyrum **POSSE COMMUNICARI** poenitentibus.

241. Et cap. 14. dicit, suffragia viventium (quæ sunt, Bellarmino ipso interpretante, jejunia, preces, elemosinæ, missæ) tribus modis posse juvare defunctos, per modum **MERITI** de congruo, per modum impetrationis, & per modum satisfactionis. Age referatur & hoc ad irretrievabilem labyrinthum Papisticum.

242. Verùm alius hinc nos incipit torquere scrupulus. Docetis Vos Monachi, applicari posse opera vestra (ô longè sanctissima) in aliorum usum, in vitæ æternæ meritum. Docetis vos Iesuitæ applicari etiam posse mortuis suffragia viventium, nempe jejunia, elemosynas, missas, planè ab alijs susceptas & præstitas.

243. Mirari ergo satis non possumus, languidam illam inefficacitatem meriti filij Dei, (ex sensu jam loquimur Papistico) quòd ipsius absolutissima obedientia legi præstita **PRO NOBIS** (Gal. 4.) & passio ipsius **PRO NOBIS** exoluta (Esa. 53.) ex vestro decreto prætorio non æquè potest applicari & imputari ad justitiam credentibus, cum tamen particula (pro nobis) eam imputationem, auribus atque animis nostris insinuet.

244. At vobis Papistis ludus est, hujus obedientiæ & passionis unigeniti filij Dei imputationem ad justitiam, & per fidem applicationem, subsannare, & cachinno excipere, & adunco naso suspendere.

245. Sic enim Pistorius vester in suo libro **Wegweiser**, quo vitam vobis ad Orcum monstrat pag. 170. dicit: Non ita imputatur nobis **ALIENA** justitia, ut extra nos **IN CHRISTO** simus justii, & non in nobis: quod Scriptura nusquam vel verbulo ostendit.

Et

246. Et paulò post pag. 171. Sicut S. Paulus Rom. 4. dicit, quòd fides in Deum, qui justificat impium (ET NON IVSTITIA CHRISTI) nobis imputetur ad justitiam. Et consimilia loca reperiuntur in Scriptis vestris in hanc sententiam innumera.

247. Age, vides, Domine Iesu Christe, quomodo hæc impia turba perfidè contendat, justitiam nostram IN TE nobis NON esse positam, & passionem ac mortem tuam nobis ad justitiam solida & efficaci imputatione à Deo imputari NON posse, qui tamen non pro tuis (quæ nulla erant) sed NOSTRIS peccatis, ex decreto & IMPVTATIONE Patris tibi impositis, crucifixus es; qui NOBIS à Deo factus justitia es 1. Cor. 1. ideoq; Iehova justitia nostra diceris, Ierem. 23. de quo Sanctus Apostolus tuus prædicat, quòd justificemur PER REDEMPTIONEM, quæ est IN CHRISTO IESV, Rom. 3. Et quòd IN HOC (CHRISTO) omnis, qui credit, justificetur, Act. 13. quodq; ipsemet quærat justificari IN CHRISTO Galat. 2. ut reperiatur IN CHRISTO, non habens SVAM justitiam ex lege, sed EAM, quæ est per fidem Iesu Christi, Phil. 3. quam fidem (quemadmodum illa, te, mundi Servatorem, pro nobis in cruce pendentem, ad ænei Serpentis similitudinem, aspicit Iohan. 3.) idem tuus Apostolus ad justitiam nobis imputari scribit Rom. 4. Hæc, inquam, isti falsi doctores impugnant, teq; Dominum, qui mercatus es illos abnegant 2. Pet. 2.

248. Interim quando hi ipsi blaterones loquuntur de nugis suis, ibi verò suaviter somniant, ALIENA etiam opera Monachorum (quæ nullius sunt hili, nedum pili) ad vitæ æternæ meritum imputari posse aliis, & ALIENA jejunia, & idololatricas missas ab aliis peractas, perpulchrè applicari posse non vivis solùm, sed defunctis etiam, & haud aliter eis imputari, ac si ipsimet ea opera fecissent. Macti, vos Pontificii, sic pergite cæcutire.

249. Quòd autem imputatam justitiam, quam in obedientia Christi collocamus, nobisq; per fidem applicamus, pleriq; hodie Pontificii damnant, noverint, de media ipsorum factione esse, qui graviter ac illis dissentiunt, & in hac quæstione nobis testimonium veritatis perhibent: ut hac etiam ratione primus hic Papiæ labyrinthus intricatior evadat.

G

Nam

*Bell. lib. 2. de Iustifi. cap. 1.* 250. Nam Albertus Pighius, Pontificius Doctor, imputatam Christi justitiam (fatente ipso Bellarmino) unâ nobiscum infecunda controversia defendit. Idem faciunt Autores Antididagmatis Coloniensis, rursus id agnoscente Bellarmino. Quid? annon eleganter cohæret ipsorum deprædicata unitas?

251. Repugnat insuper novis his Babylonicæ Synagogæ parasitis vetustus ille liber, in quo morientes ex meditationibus Anselmi ad unicam illam Christi justitiam extra nos olim acquisitam, verùm in justificationem & salutem nobis per fidem efficaciter imputatam remittuntur his verbis: Dum adhuc pretiosa anima tua est in corpore, debes omnem tuam spem & fiduciam, **NON IN QVICQVAM** aliud collocare, quàm in meritum & mortem Iesu Christi. Huic ipsius morti te totum committe, hac te contege, & in illam te involve.

252. Qui verò aliter hæc vel fieri vel constare possunt, præsertim in extremo illo agone, quàm fiduciali apprehensione perfectissimi meriti passionis & mortis unigeniti filii Dei? qua ratione homines à cunctis aliis præfidiis salutis falsò venditatis, ad unicam veram ac firmam æternæ salutis petram revocati feliciter ex hoc seculo emigrarunt.

253. Huic contradictioni Papisticæ confinis est & hæc: Fidem autumant concurrere ad justificationem non, quemadmodum vel unicè, vel principaliter saltem intuetur passionem & mortem Christi, aut specialem promissionem de misericordia Dei, per & propter Christum: sed quatenus omnia ea credit esse vera, quæ in sacris literis prædita sunt.

254. Nam ita scribit Pistorius Thesi 19. de Iustificatione: Secundò in eo etiam longè aberratur, quòd opinantur, fidem ferri solùm, **VEL PRINCIPALITER** in passionem & mortem Christi.

255. Et Bellarminus lib. 1. de Iustifi. cap. 5. consimilem in modum ex professo contendit, quòd fides justificans **NON** habeat pro objecto misericordiam specialem, sed **OMNIA, QUÆ DEVS REVELAVIT**. Hæc enim sunt ipsius formalia verba.

256. Inter cætera paulò post inquit: Deinde Apostolus hoc loco (Hebr. 11.) non solùm explicat varia objecta vel exercitia fidei, sed ipsam fidem initio definit: cur igitur in ea definitione, quæ (ut ostendimus) est fidei **IUSTIFICANTIS**, non meminit

nimir illius misericordiae specialis, SI ea est objectum PRO-  
PRIVM fidei justificantis?

257. Sic verò, Domine Iesu Christe, fides, quatenus fertur in  
sacrosanctam passionem tuam, non aliter, nec magis aut princi-  
palius justificat, ex Pontificiorum dogmate, quam quatenus fer-  
tur in doctrinam de diabolis & inferno, siquidem & hæc in Scri-  
pturis revelata est. Quòd quàm sit auditu horrendum, non dubi-  
tamus, pias mentes recto iudicio iudicaturas esse.

258. Præterquam autem, quod vel unus ille typus serpentis  
ænei Ioan. 3. explicatus, & alia innumera loca (Esa. 43. & 53.  
Actor. 4. 10. & 13. Rom. 3. 4. 5. Gal. 2. & 3. Ephes. 1. & 2. Phil. 3.  
Tit. 2. & 3. & 1. Ioan. 1. & 2. & alia) sceleratum hoc dogma Pa-  
pisticum refellunt: accedit insuper, quòd Petrus Lombardus,  
Scholasticæ Theologiæ parens, Pistorio & Bellarmino in faciem  
contradicit.

259. Etenim is lib. 3. distinct. 19. hoc pacto scribit: Dicimur  
quoque, & aliter per mortem Christi justificari, quòd per fidem  
mortis ejus à peccatis mundamur. Vnde Apostolus: Iustitia Dei  
est per fidem Iesu Christi. Et item: Quem Deus proposuit pro-  
pitiatorem per fidem in sanguine ipsius, id est, per fidem passio-  
nis: ut olim ASPICIENTES in serpentem æneum in ligno  
erectum, à morsibus serpentum sanabantur. Si ergo rectè FI-  
DEI INTUITU IN ILLVM RESPICIMVS, QVI PRO-  
NOBIS DEPENDIT IN LIGNO, à Vinculis Diabo-  
li solvimur, id est, à peccatis & ita à Diabolo liberamur, ut nec  
post hanc vitam in nobis inveniat, quod puniat. Hæc Lom-  
bardus. Ita discipuli à Magistro suo rectè (hac quidem in parte)  
sentientie dissident.

Locus  
Lom-  
bardi

260. Sic & Georgius Cassander fidem, qua justificatur ho-  
mo, definiens ab objecto, Christo nimirum in mortem pro no-  
bis tradito hunc in modum suffragatur nobis contra Pontifici-  
os: Hoc, inquit, extra controversiam est, iustitiam illam, QVA  
IVSTIFICAMVR, consistere in REMISSIONE PEC-  
CATORVM: hoc est, cum PROPTER MERITVM  
PASSIONIS CHRISTI, quam suscepit nostra causa, pec-  
cata nobis non amplius imputantur: quod nihil aliud est, quàm  
ipsum Christi meritum ad remissionem peccatorum nobis IM-  
PUTARI. Atque hoc est, quod Paulus toties inculcat: imputari  
nobis

G 2



Notanter exprimitur objectum fidei. 7, nobis fidem ad iustitiam; EAM VIDELICET FIDEM, qua credimus in EVM, QVI Christum suscitavit à mortuis: QVI TRADITVS EST PROPTER DELICTA NOSTRA, ET RESVRREXIT PROPTER IVSTIFICATIONEM NOSTRAM. Hæc Pontificius Doctor contra Pontificiorum doctrinam.

261. Et omninò quàm leviter æstiment fidem Christianam Pōtificii, & quantum sit in ea definienda divortium opinionum, præter jam memorata, docebunt quoq; sequentia.

262. Nos iustificantem fidem non sola notitia describimus vel assensu nudo, quo statuuntur ea omnia esse vera, quæ Scriptura nobis revelat: sed simul eam constare dicimus verâ fiducia, quâ homo statuit, PRO SE omnia esse præstita, quæ Dei filius in carne ad hominum redemptionem præstitit, ac proinde cum Apostolo dicit: Filius Dei dilexit ME, & tradidit semetipsum PRO ME Galat. 2. idèoq; firmiter credit, SIBI propter meritum passionis & obedientiæ Christi verè condonata esse peccata.

263. Quam πληροφορίαν sancit in credentibus promissionis immota firmitas Ezech. 33. Ioh. 3. 5. 6. & 1. Ioh. 5. obfignat eam Spiritus sanctus, testimonium perhibens spiritui nostro, quòd sumus filii Dei Rom. 8. & Gal. 4. & 1. Cor. 2. Stabilis illam Sacramentorum usus; ostendit eam indubius effectus iustificationis, quòd iustificati per fidem PACEM habemus erga Deum Rom. 5. tum exemplum Abrahæ non hæsitantis per diffidentiam, cuius fides ad imitationem nobis proponitur Rom. 4. declarat illam antithesis, qua fides dubitationi opponitur Matth. 21. Rom. 4. Iacobi 1. contestantur eam dicta, quæ cunctis verè credentibus aditum patere docent ad Deum cum fiducia Ephes. 3. Heb. 5. ita quidem, ut Deum filiali planè fiducia ceu patrem invocare audent Rom. 8. Gal. 4.

264. Pontificii hanc fiduciam ut carnalem præsumptionem damnant; Dubitationem econtra de gratia Dei, de remissione peccatorum & salute, laudant, & pro dogmate venditant, & in virtutum censu collocant.

265. Canon Tridentini Concilii sic sonat: Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certò & absque ulla hæsitatione propriæ infir-

infirmittatis & indispositionis, peccata sibi esse remissa, anathema sit.

266. Bellarminus hunc Canonem argumentis etiam stabilire nititur, inquit: fides in nihil aliud collimare debet, nisi in verbum Dei. Non enim potest esse certa & infallibilis, nisi eius autoritate nitatur, qui nec falli potest, nec fallere. At in verbo DEI NVS QVAM reperitur annunciata salus vel remissio peccatorum MIHI, aut ILLI in particulari, nisi paucis quibusdam, ut paralytico &c. Et paulo post infert: NON igitur possunt reliqui homines credere, NISI OMNINO TEMERE, tanquam ex verbo DEI sibi remissa esse peccata.

lib. 2. de  
justific.  
cap. 10.  
O tenebras  
plusquam  
cimmarias.

267. Et rursus: NVS QVAM dicit Scriptura, qui credit sibi remissa esse peccata, habet vitam aeternam aut justificatur.

268. Et mox: Ex his conditionatis propositionibus colligitur conditionata conclusio: igitur ego, SI CREDO, habeo justificationem & vitam aeternam. Absoluta vero conclusio, quam adversarij volunt, requirit assumptionem absolutam, videlicet illam: atqui EGO CREDO in filium. Quae assumptio absoluta NON EST IN VERBO DEI, sed in OPINIONE mea. Opinio autem ista mea non solum non est verbum Dei, sed etiam fallax esse potest.

269. Et haec quidem est communis opinio Pontificiorum, videlicet non posse homines in hac vita habere certitudinem fidei de sua justitia, ijs exceptis, quibus Deus speciali revelatione hoc indicare dignatur. Haec sunt enim formalia Bellarmini lib. 3. cap. 3. de justificatione.

270. Nunc spectemus conflictum Pontificiorum, quomodo in hoc summo capite doctrinae sibi minimè consent, & contrarijs Scriptis atque sententijs inter se digredientur, quomodoque suo subinde gladio sese jugulent, & Papisticae doctrinae labyrinthum magis ac magis inextricabilem reddant.

271. Antoninus Marinarius, cujus supra meminimus oratione in consensu Patrum Concilij Tridentini Domin. 4. in quadragesima Ann. 1546. habita, dubitationem Pontificiam ex professo refellit, nostramque sententiam copiose tuetur ac asseruit.

272. Inter alia multa causam & fontem aperit dubitationis illius, nimirum fiduciam operum. Dicit ergo: Proinde QVI SVIS OPERIBVS FIDVNT, de divina erga se benignitate



gnitate **DVBITARE** solent, & per intervalla & vices huc  
 atque illuc alternando fluctuare, ut nusquam eis portus, nusquam  
 fidæ stationis spes appareat, facileq; ad **DESPERATIO-**  
**NEM** in gravibus periculis infælicissima ratione tendunt. Qui  
 autem suis diffisi viribus, suorumq; operum rejecta fiducia, in  
**DEI** benignitate & clementia conquiescunt, nec cogitare un-  
 quam possunt sese a **DEO** esse rejectos, illumq; præstiturum non  
 esse, quod eis pro misericordia promisit. Nec est, quod illos pro-  
 priæ indignitatis ratio **AD DVBITANDVM PROVO-**  
**CEI.**

273. Et paulò post: Quare brem in **DVBITATIONIS**  
 labyrintho non errant, qui **PER CHRISTVM** adepti sunt  
 justitiam, sed in **SECVRITATE** mentis, in **PACE** consci-  
 entia, in lætitia cordis, edocti spiritu illo, qui illis testimonium  
 reddit, quòd sunt filij **DEI**, audent dicere, Abba pater; quan-  
 quam interim inest illis sanctus ille timor, ne cadant ab eo, ad quem  
**DEI** benignitate evecti sunt, filiorum honore. Quamobrem exul-  
 tant, quòd Christum tenent, tremunt, ne illum amittant, quem-  
 admodum Propheta monuit: Exultate ei cum tremore.

*Per-*  
*stringit*  
*Diabolũ*  
*Pontifi-*  
*quam.*

274. Et statim subiicit: At verò caro & Satan nunquam non  
 sollicitant ad **DIFFIDENTIAM** pectora justorum, quibus  
 cum perpetuum est certamen. Nunc eos **TEMERITATIS**  
 accusant, quòd se divini consilij conscios & participes faciunt,  
 dicentes: **SCIMVS**, quòd nos diligit Deus. Sed illi se purgant,  
 nempe quòd temerarij essent, **SI** divinæ erga se charitatis, tot  
 argumentis declaratae, præsertim filio ad crucem demisso, **AN-**  
**CIPITES ESSENT.**

275. Ac rursus: Vexatum pectus pium supr; omne tandem  
 difficultates emergit, in corde suo sic loquens: **QVIS ME**  
**SEPARABIT** à charitate & fiducia Dei mei? qui potentia sua  
 omnia continet, suo imperio omnia regit, sua sapientia omnia mo-  
 deratur.

276. Et paulò post: Quamobrem neque hujus seculi blan-  
 ditia, neque hujus carnis illecebræ, neque ulla Satanæ fulmina,  
 neque hæreticorum fraudes, neque amicorum deliciae, neque  
 necessariorum preces, neque parentum pietas, neque populo-  
 rum furor, neque tyrannorum crudelitas, seu minis perterrere,  
 seu in carcerem detrudere, seu fortunis privare, seu in exilium  
 ablegare,



ablegare, seu quolibet mortis genere perdere voluerint, à Deo **NOTA**  
 optimo maximo, à Domino omnipotente, à patre indulgentissi-  
 mo, **V L L O V N Q V A M T E M P O R E M E D I V E L -**  
**L E N T.** Si coelum ruat, si terra evanescat, si orbis illabatur  
 præceps, ego in eum erectus ero: si Angelus de caelo aliud mihi  
 persuadere contendat, dicam ei Anathema. O felicem Christiani  
 pectoris **F I D V C I A M**, ô beatam Evangelici cordis pietatem,  
 ô **S E C V R A M** Christianæ mentis fiduciam. Hæc ille in ipso  
 consensu Patrum.

277. Eandem Papisticam dubitationem oppugnat autor En-  
 chiridij Coloniensis. Et citat Bellarminus lib. 3. de Justifi. cap. 3. hæc  
 illius verba: fatemur, verum esse, ad justificationem hominis  
**O M N I N O** requiri, ut homo **C E R T ò C R E D A T** non  
 tantum generaliter, quod propter Christum verè pœnitentibus  
 remittantur peccata, sed & quod **I P S I M E T** homini credenti  
 remissa sint propter Christum per fidem. En iterum partem con-  
 sensus Papistici.

278. Hanc sententiam Enchiridij citans & approbans Ge-  
 orgius Cassander, licet Pontificus, in sua consultatione mox ita  
 pergit: ad justificationem consequendam requiritur talis fides,  
 qua homo exemplo Abrahæ ad promissionem Dei **N O N H Æ -**  
**S I T E T** propter diffidentiam, sed præter spem in spem cre-  
 dat, Deum videlicet credenti in eum, qui suscitavit Iesum Chri-  
 stum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resur-  
 rexit propter justificationem nostram, imputaturum hanc fidem  
 ad justificationem, & eum, qui mortuus erat peccato, per Spiri-  
 tum sanctum vivificaturum.

279. Cum hac sententia pulchrè congruunt quæstiones  
 ex Anselmi Meditationibus olim homini morienti proponi so-  
 litæ: num **F I R M I T E R C R E D A T**, quod Dominus  
 noster Iesus Christus, verus Deus & homo, ipsius gratia, ad libe-  
 randum ipsum ab æterna morte crucifixus & mortuus sit?  
 Item: Num **F I R M I T E R C R E D A T**, quod non possit  
 in æternum salvari, **N I S I** per passionem & mortem Iesu  
 Christi, ad quas quæstiones affirmatè jubebatur respondere æ-  
 grotus.

280. Huc pertinet quoque concertatio Ambrosij Cathari-  
 ni Archiepiscopi Minorienfis, & Dominici à Soto. Vbi Catha-  
 ginus

ATQVE  
 rinus quidem certitudinem salutis asserit. Sotus autem ille dubitationem propugnans eò procedit amentiae, ut etiam testimonium Spiritus sancti, testificantis, quod sumus filij Dei, fallitatis arguere nihil exhorrescat.

281. Verba ejus sunt: Dissensio, quam inter tuam meamque mentem, nullam extra verba esse existimas, hæc est **IN RE MAXIMA**. Porro quod tu arbitraris, posse fieri hominem certum lucæ gratiæ, certitudine, quæ licet non sit æqualis fidei Catholicæ, sit tamen vera fides, id est, omnem prorsus dubitationem excludens: atque id quidem lege communi, nempe **TESTIMONIO ILL O**, quod authore Paulo, Spiritus Sanctus reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei: hoc ego verò, salva pace & autoritate tua, **CREDO ESSE OMNINO FALSVM**.

## NOTA.

282. In hac concertatione Bellarminus Catharini puriorem sententiam reiiciens, sacrilegam illam blasphemiam Dominici à Soto non obscure comprobat lib. 3. de justificatione cap. 3.

283. Sed libet aliam spectare pugnam fraterculorum. Bellarminus lib. 3. de Iustific. cap. 5. ad stabiliendam dubitationem producit locum 1. Cor. 4. nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum justificatus. Quia verò Paulus eo loco de semetipso loquitur, nonne suam exceptionem Bellarminus evertit ipse, quando passim inquit, neminem posse de salute certum esse, **NISI CUI DEVS** id revelare dignatur? siquidem jam ipsum quoque Paulum de gratia Dei & salute dubitasse constituit, cui certè (si cuiquam alteri) certitudinem gratiæ Dei, remissionem peccatorum & salutis, peculiaribus etiam revelationibus confirmatam esse constat.

284. Et quomodo cum ijs concordabit Iesuita, qui nobis certitudinem salutis astruendam producentibus Apostoli locum Rom. 8. Scio, quod neque vita, neque mors &c. possit nos separare à dilectione Dei, respondent, Apostolum ideo potuisse esse certum, quia peculiariter hoc ei sit revelatum. Nimirum Cadmæi fratres inter se prælia miscent.

285. Præterea quot articulorum Papisticorum, quot axiomatum facient dispendium Romanenses, si doceant, hominem in hac vita nunquam de gratia Dei, nunquam de remissione peccatorum, nunquam de vita æterna posse esse certum?

Docet

286. Docet Bellarminus lib. 3. de Iustificatione cap. 2. fidem veram debere esse CERTISSIMAM. Hinc probabimus, nullum Pontificiorum habere fidem veram, hoc syllogismo: Qui habet fidem veram, debet de sua salute esse certus, siquidem ipsomet fatente Bellarmino, fides debet esse certissima. Pontificii non sunt de remissione peccatorum, gratia Dei, justificatione & salute sua certi, nedum certissimi. Ergo non habent fidem veram. Sic everfus jacet totus Papatus.

287. Adhuc in articulo de lege docent, legem posse ab homine renato in hac vita impleri, & contrarium sentientes damnantur peculiari Canone Tridentini Concilii, cujus hæc sunt verba: Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit. Nam, inquiunt Patres Concilii, Deus impossibilia NON jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat VT POSSIS.

278. Hinc ita argumentamur: Qui perfectè potest implere legem Dei, potest etiam de salute sua esse certus, secundum indubitatum verbum Salvatoris: hoc fac ET VIVES. Et Pauli Galat. 3. qui fecerit ea homo, VIVET in eis. Renati (ex sententia Papistarum) possunt perfectè adimplere legem Dei. Ergo possunt etiam de salute sua esse certi.

289. Nisi fortè, absurda absurdis cumulando, renatos omnes Pontificiis tam fingatis esse stipites & caudices, ut etsi renati sint, nesciant sunt omnia tamen se esse renatos, etsi credant, se tamen credere dubitent, li- caca. cet justificati sint, ignorent tamen, num id verum sit, & omninò ambigant, sintne ex censu filiorum Dei vel Diaboli. A qua caca Papistica fide libera nos Domine.

290. Insuper docent, peccatum Originis per baptismum non tantum esse remissum, sed penitus extirpatum. Quod si ita est, cur de gratia Dei adhuc dubitat? cum sint tam perfecti, & à peccato re ipsa penitus liberati?

291. Docebant Scholastici, ut suprâ demonstravimus, Deum homini facienti, quod in se est, IMMUTABILITER infundere suam gratiã. Quam opinionem Iohannes à Daventria, contra Augusta- nã Confessionem propugnans, ait, Deum homini sic operanti, dare gratiã, NECESSARIO, nempe NECESSITATE IMMUTABILITATIS, Hoc si ita est: cur ergo (malum) dubitant de gratia illa Dei?

H

292. Doe



292. Docent iusuper & veteres Scholastici & hodie Bellarminus atque alii, omnem actum charitatis, seu quodlibet opus bonum à charitate dimanans, EX CONDIGNO mereri vitam æternam.

293. Cùm ergo tot actus, tot opera charitatis faciant, quibus singulis vitam æternam merentur: cur quæso de ea dubitant?

294. Docent Monachi, habere se opera supererogationis, quæ aliis communicare & applicare queant in vitæ sempiternæ meritum: quemadmodum supra de hac pulcherrima communicatione meritorum diximus.

295. Miramur ergo, dubitare Monachos de propria salute, cùm & aliis salutem mereri, & in meritum perpetuæ beatitudinis opera mirificæ suæ castitatis, & durissimæ paupertatis eleganter adeò norint applicare.

296. Ingressum religionis, id est, susceptionem Monasticæ tam docent hominem ab omnibus peccatis purum reddere, quàm est infans recens aqua baptismi tinctus. Quid igitur in tanta puritate attinet de salute perpetua dubitare?

297. Sacrificuli & Monachi, cùm eis datur quippiam, aut Testamento legatur, solent oppignorare animas suas pro salute eorum, à quibus accipiunt beneficia. Nonne igitur de horum salute sunt certissimi? qui ausint alias tam confidenter oppignorare suas animas? Si verò de aliorum salute tam sunt certi: cur non multò magis de propria?

298. Romanus Pontifex missis per omnia regna literis atq; diplomatis quàm certò pollicetur remissionem peccatorum omnibus, qui Romam currunt, ibiq; Papales, uti vocant, indulgentias sibi redimunt? Quis hic relictus ambigendi locus? Num enim putabimus, Papam pro CERTA pecunia venias & indulgentias dare INCERTAS? Absit hic dolus à sanctissimo patre, qui nec falli potest in talibus rebus, nec fallere.

299. Et num claves errare possunt, ut quod Papa solvit in terra, solutum in cælo non sit? Atqui hoc esset promissioni Petro & successoribus ejus, Romanæ Ecclesiæ Episcopis, factæ derogare fidem. Qui potest ergo dubitari de salute eorum, quibus ille impertit indulgentias? plenarias præsertim? prout pecunia secundum Curia Taxam dependitur.

300. Huc pertinet, quòd Angelis etiam præcipere consueverunt

ront Pontifices, ut viatorum Romam indulgentiarum redimen-  
darum gratia tendentium, si illos in itinere mori contingat, ani-  
mas protinus exceptas in caelum recta deportent. Quid? num de  
salute illorum, quibus tam magnifice cavet Pontifex, dubitan-  
dum censebimus?

301. Papa nonnunquam canonizat & Divorum Senatui ad-  
scribit, quos de Sede Romana praeter ceteris putat esse bene meri-  
tos. Et in hac canonizatione non errat Pontifex, quod in pulcher-  
rimo suo tractatu Bellarminus lib. 1. de beatitudine Sanctorum  
egregie (scilicet) demonstrat.

302. Quidni ergo Papa de horum salute certissimus est? quidni  
etiam de propria? Si vero de propria nullam habet certitudinem,  
sed ambiguis tantum conjecturis ducitur: qui poterit certitudi-  
nem habere salutis aliorum, eamque prorsus infallibilem, ne for-  
san canonizatione turpiter aberrans in caelum collocet eos, quo-  
rum animae torreneur in inferno. Haec omnia qui subsistant, &  
cum dogmate vestro dubitationis componi queant, iudicium ve-  
strum audire cupimus, o Viri Pontificii. Nos ad finem labyrinthi  
properamus.

303. Est ergo hoc quoque iusta animadversione dignum, quod  
tam frigide sentiunt, tam jejune disputant de fide Romanenses,  
ut nihil supra. Nam si quaeras ex eis, an homo non renatus possit  
opera facere vere bona? Negant, & recte. Sin quaeras, an homo  
non renatus possit VERAM habere fidem? Affirmant. Vnde li-  
quet, pluris illos facere bona opera (quippe solis renatis propria)  
quam fidem veram, quam somniant hominibus etiam non rena-  
tis, & extreme impiis esse posse communem.

304. Ringeris? Recognosce ergo Conciliabuli Tridentini *Sess. 6.  
decretum*, his comprehensum verbis: Adversus etiam hominum *cap. 15.*  
quorundam callida ingenia, qui per dulces sermones & bene-  
dictiones seducunt corda innocentium, asserendum est, non mo-  
do in infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quo-  
cunq; alio mortali peccato, **QVAMVIS NON AMITTAT R.**  
**FIDES**, acceptam justificationis gratiam amitti, divinae legis  
doctrinam defendendo, quae a regno Dei non solum infideles  
excludit, **SED ET FIDELIS QVQVE FOR-**  
**NICARIOS, ADULTEROS, MOLLES,** *Hoc*  
**MASCVLORVM + CONCVBITORES, FVRES,** *dogma.*

H 2 A V A

*sibi re-* ,, AVAROS, EBRIOSOS, MALEDICOS, RAPACES, ca re-  
*servant* ,, rosq; omnes, qui LETHALIA COMMITTUNT peccata, à qui-  
*Itali* ,, bus cum divinæ gratiæ adjumento abstinere possunt, & pro qui-  
 ,, bus à Christi gratia separantur.

305. Consimilem in modum Bellarminus de fide scriptitat.  
 ,, lib. 1. de Iustificat. cap. 3. Nos asserimus, fidem etiam à CHARI-  
 ,, TATE DISJUNCTAM, alicujus esse pretii, & vim habere justifi-  
 ,, ficandi per modum dispositionis & impetrationis.

306. Imò eodem lib. cap. 15. palàm contendit, & argumentis  
 ,, obtinere nititur, FIDEM VERAM POSSE REIPSA à DILE-  
 ,, CTIONE, aliisq; virtutibus SEPARARI. Hic enim est titulus  
 ,, ejus capituli: & hanc propositionem illic multoties iteratam le-  
 ,, ctoribus ex poculo propinat meretricis Babylonicae.

307. Et in præfatione primi Tomi sic ex eo poculo Romanae  
 ,, Babylonis ebrius incespitat? Si Catholicus quispiam labitur in  
 ,, peccatum, si furtum, si ADULTERIVM, si homicidium fortè  
 ,, committit: miserè certè cum illo agitur. At nihilominus, quo ni-  
 ,, am adhuc aliquis vitæ sensus, adhuc ædificii fundamentum, adhuc  
 ,, lumen auroræ, id est, FIDES IN IPSO EST; multa & magna  
 ,, præsidia ad salutem æternam habet, NON (a) AMBVLAT IN  
 ,, TENEBRIS, novit medicum suum, potest adhuc EX FIDE  
 ,, QVAM HABET, AD DEVM CLAMARE, SVPER FVN-  
 ,, DAMENTVM ÆDIFICARE, COMMVNEM LIBE-  
 ,, RATOREM APPELLARE, clementiam ejus, & misericordi-  
 ,, am implorare.

*a Con-* ,, 308. Pontificio huic horribili paradoxo Concilii Bellarmini,  
*trarium* ,, opponimus Ius Pontificium, quod Decreto (de pœnit. distin-  
*docet* ,, ctione 2. charitas est aqua) ex Augustino dicit: quòd si charitas à  
*Johan-* ,, Christianorum FIDE SEIUNGI NEQVIT, cui SOLI  
*nes 1.* ,, venia promittitur: QVOMODO QVI CHARITATEM NON  
*Epist. 2.* ,, HABVERIT, FIDEM Christianorum HABVIT, hoc est, in  
 ,, Christum credidit?

309. Opponimus etiam Georgium Cassandrum, qui in sua  
 ,, consultatione turpissimum errorem Concilii & Patronorū ejus  
 ,, refellit his verbis: Illud igitur accuratè observetur, si sola fide  
 ,, apud populum homo justificari dicatur, illud simul inculcetur,  
 ,, fidem, tametsi sola justificare dicatur, tamen SOLA ESSE  
 ,, NON POSSE, SED NECESSARIÒ POENITEN-  
 TIAM

TIAM ET VITAE MELIORIS PROPOSITUM ADIVN-  
CTVM HABERE: ne videlicet inanem quandam & adum bra-  
tam imaginem fidei pro solida & expressa fide amplectamur.

310. Sed & rationibus labyrintho magis magisque implican-  
tur. Nam si etiam adulteri, imò marulorum concubitores & con-  
fuites, quos Paulus exortes pronunciat regni coelestis 1. Cor. 6  
per mortalia illa pescata fidem non amittunt, ut Concilij de cre-  
tumasserit, sed fidem adhuc retinent, & quidem fidem VERAM:  
sequitur, etiam VERAM suam habentes esse vitas aeternae  
exortes, & damnationi obnoxias. Ita consider pronunciatum  
Salvatoris κατ' οὐκόν τοις incucatum, OMNIS, qui credit in  
me, habet vitam aeternam Iohar. 3 & 6. Et Rom. 9, OMNIS, qui  
credit in eo, NON pudefiet.

311. Et quomodo constabis illud Apostoli, qui de his, qui  
professione sunt Christiani, sed suorum curam non gerunt, enun-  
ciar, quod FIDEM ABNEGARINT, ET SINT INFIDELI-  
BUS DETERIORES 1. Timoth. 5.

312. An non verò Diaboli quoque dici queant fideles, sicut juxta  
Pontificiorum stylum FIDELIS dicuntur Sodomitae, qui con-  
cumbunt cum masculis? Siquidem & demones firmo assensu har-  
ruunt ea omnia, quae in Scripturis sunt revelata, esse vera, teste  
etiam Iacobo cap. 2.

313. Observet etiam Lector, Concilium & Bellarminum a  
libi iustificatos quoque jubere dubitare, NVM CREDANT.  
Interim Sodomitas seu masculorum concubitores, adulteros,  
varos, ebriosos &c. in medio illo impietatis statu VERAM posse  
habere fidem, pronunciant.

*lib. II de  
Iustificat.  
cap. 10.*

314. Cæterum de Sola fide, quam supra paucis attigimus, hic  
sub calcem Thesium aliquid videtur adiungendum. Pontificij pro-  
positionem ( sola fides iustificat ) reijciuntur hæreticam & nun-  
quam in Ecclesia Dei receptam.

315. Atqui supra passim ac sparsim allegata sunt testimonia  
Cassandri, qui licet Pontificius, in consultatione Artic. 4. eam  
propositionem non obscure probat, & à novitatis opinione libe-  
rat, dicens: Habet hæc locutio exempla verustatis. Nam Ori-  
genes in Epistola ad Romanos demonstrat, fide SOLA absque  
operibus aliquos esse iustificatos. Et Hilarius de paralytico: A  
Christo, inquit, per fidem remissio est, quod lex laxare non po-  
rerat.



erat, Fides enim **S O L A** iustificat. Plura sunt in præcedentibus ex Cassandro allegata, huc pertinentia.

316. Calumniatur nostram doctrinam Concilium Tridentinum, ac si doceremus fidem à electione & pietate separatam: ideoque per mendacium diabolicum ponit, ab hæreticis (Lutheranos notans, nostra tempestate, magna contra Ecclesiam Catholicam contentione **PRÆDICARI** nam hanc **AB OMNI PIETATE REMOTAM FIDUCIAM.**

317. Equidem vera esset æcusatio, si doceretur à nobis fides illa Pontificiorum, quam sui hominibus etiam scortatoribus, adulteris, & masculorum concubitoribus in ipso impœnitentiæ statu attribuunt. Quoniam verò ipsos eos vera fide præditos affirmamus, qui Deum timent, & pietatem colunt, & charitatem exercent, & ad omne opus bonum sunt apparatus: idq; publicis Scriptis coram universo mundo palam profiteamur, evanescit calumnia, quam Patres Concilij Tridentini ex suo, quo gubernabantur, Spiritu contra nos mendaciter evomuerunt.

318. Bellarminus licet alias impudens, hic tamen à falsa criminatione conciliabuli nos absolvit, ejusq; conventiculi partes mendacij, licet inscius & aliud agens, redarguit.

319. Nam lib. 1. de Iustific. cap. 3. formaturus statum quæstionis inter alia scribit: Tertiò dissentimus, quòd ipsi, (Lutherani) fidem, quam dicunt solam iustificare, docent **NVNQVAM ESSE SOLAM.**

320. Eodem lib. cap. 10. rursus à falsa criminatione Concilij nos liberat, dicens: Neq; hoc negare possunt adversarij, quippe qui fidem **NEGANT ESSE VERAM, NISI sit viva, & FRUCTVS BONORVM OPERVM PARIAT.**

321. Cassander etiam in sua consultatione mendacium Tridentinorum Patrum refellit, Ab hac fide, (inquiens) Protestantes **NEC EXCLVDVNT POENITENTIAM,** timorem Dei, fiduciam, dilectionem, denique obedientiam erga legem Dei.

322. Quin explicat dilucide, quomodo nostram propositionem de sola fide velimus intellectam asserens: Illud igitur accurate observetur, si sola fide apud populum iustificari dicatur, illud simul inculcetur, fidem tamen si **S O L A** iustificari dicatur, **T A M E N SOLAM ESSE NON POSSE,** sed necessario poenitentiam & vitæ melioris propositum adjunctum habere.

Cernit



323 Cernit amans veritatis lector, non modo luctentam nobis injuriam esse factam à Concilio, sed quosdam etiam laudatores Concilij ab eodem in ista criminatione palam dissentire. Et hæc quidem de Labyrintho primo Papistico dicta sunt.

AD LECTOREM.

Quoniam supra, thesi 234. promissimus velle nos ad finem Thesi, in exemplum literarum adijcere, e quibus cerni queat, quomodo Monachi & Moniales fautores & benefactores suos participes reddiderint operum suorum, afflictionum corporis, jejuniorum, Vigiliarum, Missarum, & meritorum suæ castitatis, paupertatis & obedientie Monastica: idcirco id exemplum, quod D. D. VVILHELMVS BIDE MBACHIVS, pia memoria, inseruit suo libro, cui titulus est, Das verlaugnete Papstthumb / subjungere visum est, hujus hæc sunt verba:

**N** A Provincial der Klöster Predigerordens / Entbiet Nota  
**N** A ewiges heil in Gott / vnd durch manche gute Werck  
seliglich verdienen das Reich der Himm / zu volbringen / ewre bes  
sondere andacht / die jr zu vnserm Heiligen Orden habt / zu  
lob Gott / vnd zu ehr der Jungfrauen Maria / zu hülf vnd  
trost ewerer vnd ewer vordern Seelen / mit welcher ihr  
begert theilhaftig zu werden / vnserer löblichen Brüdere  
schafft / auch andacht vñ gebet / als wir glaublich von euch  
verstanden haben / Solche heilige begierd / die dem Men  
schen auff Erdreich hüfflich ist zu abtugung der Sünden vñ ver  
dienlich des ewigen Lebens / seind wir in dem **HERREN** Jes  
su loben / vñd geneigt / so viel vns mütlich ist / ein Geistlich  
Widerlegung zu thun. Hierumb aus gewalt vnser Ampts /  
auch aus befehl vnser Hochwüdigem Herrn vñd Vaterm  
Generals vns befohlen / nemen wir euch auff in die Brüder  
schafft vnser heiligen Ordens / vnd machen euch theilhaftig Sie soll  
auch breuchlich im Leben vnd Todt / aller Mes / Gebets / Predi / ten auch  
gens / Fastens / Contemplation / Wachens / abbrechens / ire Con  
klösterlicher straff / Andacht / Singens / Lesens / Arbeit / vñ téplation  
aller anderer gutthaten / die der Allmächtige Gott durch mittel  
vns vnd all vnser Brüdere vnd Schwester der ganzen Pro  
ving gnediglich würcken ist. Wir verleihen euch auch  
aus sondern gnaden / so ewers Abgangs gedächtnis in vn  
serm Capitel gemeldet wird / das für euch gedächtnis sol als  
les das / so für vnser Brüdere genzlich doßelst geschicht.

Nota

D

Formula



Formula der Nonnen Absolution / wie die in der  
Lüneburgischen Visitation gefunden / vnd von  
D. Urbano Rhegio mit einer außlegung in  
Truck gegeben.

**S**As Leiden vnser HErrn Jesu Christi / der verdienst der H.  
Jungfrauen Maria / vnd der verdienst aller Heiligen / die de-  
mütigkeit ewerer Beicht / die Hertzigkeit vnd Gehorsam ewer heiligen  
Regel / vnd die guten Werck / die ihr gethan habt / vnd die Vbele vnd  
Widerwertigkeit / die ihr erliden habt / erledigen euch von Sünde  
den / **A M E N.**








































99 A 6902


ULB Halle 3  
002 064 405



DA>OC

Retro V077







Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

805  
40

PRIMUM

est:

UNIVERSALIS  
CONTRA-

confundente

VLIS

SACRA.  
CRISTI.  
CRISTI.  
TIONE.  
ERIBVS.

*praterlapsi anni 1601. ad  
Clarissimo viro, à D.D. Ægi-  
, nunc ad diem 2. Martii  
cultate Theologicâ,  
xiliente Deo,*

E  
PRO S. THEO,  
fflore in Acade-  
genfi,  
anis, in Auditorio  
endet,

TRIACVS: IAM  
stor, & Su-  
s.

G Æ,  
ri, Impensis Pauli  
nno 1604.